N° D'ORDRE : 1574

TRANSGREDITVR.
EMINET ET
LVCET VBIQVE.
SVPERAT ET VINCIT.
TABVLÆ
HISTORICÆ
HENRICI IV.
COGNOMENTO MAGNI,
GALLIARVM ET NAVARRÆ
REGIS.
AVTHORE
PETRO CORNVTO
IN SVPREMA CVRIA
DELPHINATVS
REGIO
SENATORE.
BELLA
GERIT
LVGDVNI
SVMPTIBVS HORATII CARDON
M.DC.XV
REGIT
ET
CVNCTA
TVETVR
Cum privilegio Regis.

AD LVDOVICVM XIII.

GALLIARVM ET NAVARRÆ REGEM CHRISTIANISSIMVM.

ECCE (Rex Potentissime) historiam Tabulis scriptam factorum Inuictissimi Principis HENRICI IV. Galliarum & Nauarræ Regis genitoris tui tibi offero, do, dico. Admirandus ille admiranda fecit & egit. In pueritia non molliter educatus est, vt aptior esset perferendis laboribus; in tenera ætate dura & aspera expertus; adolescens factus, multa incommoda passus. Bella coactus suscepit, partes triplici pugna vniuersali exhaustas & cadentes excepit, & Dux earum, præfe-

ctus Galliæ tanquam Sol oriens illuxit. In virum matureſcens, nouem exercitus propulſauit, triplicis pugnæ, Cotraciæ, Arcuenſis & Iberiacæ victor, & triumphator effectus. Regnum legitima ſucceſſione ſibi delatum adiit, bellis & diſcordiis ciuilibus plenum. Lutetiam longa obſidione profligatam cepit, libertatem ciuibus, exteris hoſtibus qui intus erant, veniam egrediendi dedit. Acies quatuor Italas & intumeſcentes vidit, vicit, & profligauit. In omnibus pugnis,conflictibus,& obſidionibus ſuperior euaſit: exteros à finibus Regni arcuit, diſcordias ciuiles ſedauit, rebelles & perduelles clementer excepit: proſcriptos ab exilio reuocauit, Galliã inſtaurauit, pacem omnibus dedit,imò exteris nationibus eam expetẽtibus Pontificis Maximi interceſſione. Sabaudiam, & Brexiam cepit, timorẽ Italis,& aliis pluribus incuſſit. Victor & triumphator rediit, ſemper Auguſtus, à

nullo

nullo vnquam victus, ſemper triumphans. Tandē laureatus, & palmis redimitus animam reddidit Deo, Chriſtiano Imperio lugente. Hæc ſunt mirabilia tanti Principis, quæ tibi exemplo eſſe debent, vt virtutum eius imitator, in Throno meritò ſedeas, & Regnum rectè, & appoſitè regere, & tutos limites ab inuaſionibus conſeruare poſſis. Macte animo (Rex Potentiſſime) & veſtigia patris imitare, eius pietatē erga Deum, ſagacitatem, promptitudinem, magnitudinem, prudentiam, & clementiam, vt Deus fauore ſuæ diuinæ gratiæ, te ad adoleſcentiā perfectam in ſplendore, & pace fœliciter, & ſine ſtrepitu perducat, & fluxus maleficos, qui Regna turbare ſolent, diſcutiat, vt virilem agens ætatem, cogitationes ipſe anteuertas; vt Sceptrum tuum dilectum & formidatum ſit, & templo Iani clauſo, beneficio publicæ tranquillitatis gaudeat. Vale.

AD LECTOREM.

LECTOR, *habes opus absolutum, & breue Historiæ gestorum Magni illius Principis* HENRICI IV. *Francorum & Nauarræ Regis. Hæc tabulis scripta, vt longitudini temporis, imò æternitati commendentur. Videbis acta virtutis, magnitudinis, mansuetudinis, & clementiæ. Adsunt triumphantes victoriæ, quæ laureatum Principem omnibus Princibus qui fuerunt, præferendum meritò arguunt. Hæc sunt exempla Regibus, vt sciant quid in bello, quid in pace agendum sit, quid erga subditos, & extraneos obseruandum. Rex iste fuit lumen Principibus sui sæculi: erit & in posterum, cùm virtute sit immortalis. Omnibus quæ in Principe necessaria sunt, fulgebat, à cœlo multis in eum collatis beneficiis. Eius virtutes, & famam, encomia & præconia scripsi auxilio Gallicæ Historiæ Petri Matthæi Historiographi Regij viri eruditissimi adiutus. Hæc omnia omnibus sæculis, imò perennitati consecro: vt longa posteritas discat, hunc numinibus similem fuisse, & post tempora stet vetus tanti Regis memoria. Lege igitur, candide Lector, & repete: hæc ardua, quæ bona fide edidi, in ardua materia, & laboriosè fata, benigna interpretatione suscipe, & fouc. Vale.*

TABVLÆ

TABVLÆ HISTORICÆ
HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

AVGVSTVS ille Princeps Potentiſsimus, & victor ſemper, Optimus HENRICVS IV. Galliarum & Nauarræ Rex, anno M.D.LIII. Flexiæ conceptus eſt: Idibus Decembris, cœlo annuente, Pali in lucem emiſſus in Pyrenæis innatis limitibus, qui Celtas ab Hiſpania diſterminant vndique montes, & ſcopuli, loca vbique aſpera, rugoſa, iugoſa, puerum educandum exceperunt.

Ab incunabulis, & in ipſis vitæ foribus, educationi Henrici Aſturum Regis, aui materni deſtinatur. Infans & puſio Corraſij ab eo ruſticano victu educatur, vt vis animi augeatur.

Anno ſuæ ætatis ſeptimo Regiæ Francorum Regis Aulæ admotus, vt cum cognata progenie educaretur, & cum illis Liliorum ramis viueret, quorum Sceptro iure ſanguinis, meritis & ordine erat ſucceſſurus.

Adoleſcentiæ proximus, fortunæ fluxus & reſluxus paſ-

ſus eſt patre morti dato,& funerato ; matre Regina profuga longiùs abdicata: patruo gratia minuto,agnatis vinctis,& iudicatis reis, amicis proſcriptis, & ſeruis, clientibúſque exulibus factis.

Pubeſcente ætate nouercales adhuc fortunæ fluctus expertus eſt, Regno variis ſeditionibus,prælijs & bellis ciuilibus pleno, aliquando ſæua pacis intermiſsione decepto. Et cùm adoleuit, militiæ tyrocinio accitus, Dux & Imperator fœlicibus auſpiciis agnitus infœlicium partium, quæ quater inſtructa acie, inauſpicata pugna ferè proſtratæ iacebant, eas ſubactas, collapſas,& attritas, fœlici præſentia in exercitum debilitatum collectas, armis & fortitudine ſua erexit,& ſubleuauit.

Poſtquam virilem ætatem attigit, ad matrimonium pellectus illegitimis nuptiis, funeſtis & inconceſsis hymenæis adactus eſt fato malo : fortuna aduerſante nuptiarum initiũ fuit matris inopinatus obitus. Secuta ſunt mala plurima, Bartholomeia clades, captiuitas ſuæ libertatis, proſcriptio ſuorum, & ſibi,& multis ſpecimen ſeruitutis indiderunt. Aſt ille incomparabilis virtutis aulica cuſtodia dilapſus, & digreſſus, commilitonum qui aufugerant, libertate recepta, Dux efficitur diſcordiarum ciuilium eminentibus periculis. Authoritate fulgens,Imperatoris, Tribuni,& ſæpe priuati & gregarij militis vices egit,ſtrenuè pugnauit,donec quinto Diplomate Regio pace reſtituta, ſecuritas publica data fuit, & promulgata.

Belli

Belli ciuilis tempestatibus sedatis; quies publica mutata est; ecce fulgura, turbines, stupendi impetus, strages, & horrenda mala sese offerunt: & in quatuor annorum spatio decem Regales exercitus incautũ inuadere conantur; eos excipit, sustinet, & validè repellit, & propellit: eum virtus & fortuna numquam deserunt; spes in virtute, salus ex victoria.

Pugnæ Cotraciæ fœliciter parta victoria, virtutis suæ cunctis indicem præbuit, hostes & æmulos metu affecit; Aquitaniam sibi adæquauit, & summa belli ab eo in Occitaniam, & Delphinatum translata est. Pictonici soli regnator & triumphator Ligerim transgreditur; Andinum appetit, & tanquam Sol oriens fulget & refulget.

Facibus vbique in Regno accensis ob internecionem duorum Principum fratrum, flammis & sanguine scatebant omnia. Ast ille omnium simultatum immemor HENRICO III. Augustæ Turonum in angustias redacto opportunè adfuit, & auxilium tulit, vt Galliam cadentem exciperet. Atque adeò ita fœliciter opem præbuit, vt sine dubio Rex triumphator patentibus portis, & hostium viribus dissolutis, breui vrbem ingressurus esset, ni sicarius monachus eum parricida manu occidisset.

Occiso Rege, inopina mors multis terrorem attulit: copiæ Gallorum vnum Principem colere assuetæ, iugum tyrannidis metuentes, huius Principis ditioni legitimæ se submittunt, & vltrò eum Regem agnoscunt, multis hanc gloriam iniquè ferentibus.

Omnem poteſtatem ad vnum & legitimum ſucceſſorem conferri ſalutis publicæ interfuit. Regnum reperitur diuerſis partibus, diſſenſionibus, & diſcordiis confectum. Belli ciuilis malum non ſolùm animata deuoluit, ſed euertit quidquid ſtat, nulla ſcelerum facies deeſt, nulla dignitatis, ſexus, aut ætatis habetur ratio; ſtupra cædibus, cædes ſtupris adduntur; nulla eſt in foro pax; nulla in ſupremis Curiis concordia; nullæ in iudiciis moderationes, nullus honor. Magiſtratus plures libidine dominandi res nouas, & fæuiſsima quæque promunt, largitiones, luxus, induſtriam & vigilantiam exercent multi, mala initia impudentibus auſis fouere non verentur. Hinc noua ſemina belli ciuilis, & defectiones à domo Principis quæſitæ.

Plures aduerſa moliuntur ex diuerſis partibus Europæ contra hunc Principem proclamatum Regem: magna pars Gallorum cauſæ æquitatem agnoſcere; & imperium ſubire, perduelles ferocire, inſurgere; exitia regno minari; irruere; & inſoleſcere, hoſtes arma mouere; verè ſubditi paueſcere; ille verò caput rerum non omittere Rempublicam; in caſum non dare; iras ciuiles in exitium hoſtibus vertere; diſsidia ſedare; hoſtes repellere; laboribus & pugna Regnum vindicare, & pro ſalute publica vitam periculis exponere, vt res rectè conſtitutæ, & ad ſanitatem redactæ, paci & quieti vniuerſæ reſtituantur.

Diepa eum excipit, & excipiendo ab aliis excipitur, & cæteris fit exemplar fidelitatis. Arcuenſis vicus eum inuictum,

ctum, & insuperabilem probat. Lutetia Parisiorum Regni metropolis tremit, & ingemit, eum ad portas adesse cernens, quem profugum ad Britannos esse credebat. Hanc Rex inuictissimus obsidet, suburbia nullo negotio expugnat. Hoc casu Parisienses perterriti & trepidantes in diuersas vrbis partes discurrunt, & cùm eos confusione turbatos cum omnibus suis copiis in suam potestatem redigere possit, tamen proximum suæ clementiæ, & humanitatis esse existimat, vrbem vi armata non capere, eam ciuibus non spoliare, ædificia non vastare, & opes militum prædæ non exponere.

Vindocinum, Cœnomani, Lexouij, Ebroicenses, Alenconij, Vernolium, & Honoflorium trepidant, commouentur, verentur, pertimescunt, manus tendunt deditionem significantes, & armis proiectis, in eius fidem se tradunt, eum agnoscunt, iugum subeunt, & victricibus armis cedunt, imperata facere, & oppidis recipere parati sunt.

Rex pro bono publico, pro salute Reipublicæ, acie vtrinque instructa, pugna vniuersali, & signis explicatis dimicandum esse existimat. Hostes prælium poscentes accedunt, vocat concionem, sapientia & prouidentia præuisa, & imminenti pugnæ apta & idonea differit. Consilia, astus, locos, prompta & occulta nouit, aciem instruit: intenti paratíque milites adstant, & signum pugnæ expectant. Campus Iberiacus locus prælio destinatus.

In hostium cateruas per ferociam prorumpentes, validissimos incurrere iubet. Globi ignei tormentis bellicis tan-

quam fulgura mittuntur; conſpicui hoſtium propugnatores vulneribus deiiciuntur, cæterorum animis ardor minuitur. Rex in eos impetum facit; plures turpi fuga abeunt; Proceres pugnam ſuſtentant, fugientes ſine cura ducum eos deſerunt. Omnes tandem terga oſtendunt; Regij milites internecione hoſtes afficiunt; Rex per aciem volitans clamat, ne cædibus inſiſtant: vndique fugientibus vulnera, luctus, excidia, plura cadauera, arma & ſpolia in loco pugnæ reperta. Magna & laudabilis ea victoria victori incruenta.

Iberiacum in campis Iberiacis pugnantem vidit & triumphãtem. Eius robore & fortitudine ſceptrum collapſum reſurgit; Medunta & Verno portas victori recentis victoriæ apertas oſtendunt, & præbent. Melodunum pœnas luit temeritatis. Sandionyſanum oppidum eum ſuperiorem ſentit, & ſacra maiorum monumenta & mauſolea reſtituit.

Eſurientem Lutetiam expugnare noluit, imò conſeruatam eſſe voluit. Peritura erat, ſi eam perire voluiſſet. Corbelium amittitur, & cum hoſtium exercitu perit, & mox ſolertia & diligentia Principis recuperatur. Pons Arſius eius peritiam, Carnutum conſtantiam, Nouiodunum animi magnitudinem, Louuerium vigilantiam mirantur, Albomalum pro ſuorum ſalute eius effuſum ſanguinem teſtatur.

Rothomagi rebus deſperatis ad extrema quæque redacti, ſpe omni auxiliorum priuati, omnia metuentes, obſtupeſcunt & mirantur. Dum aduerſus hoſtes Princeps inuictus proficiſcitur dimicaturus, Iuetotium inimicos turbatos,

ſparſos

ſparſos & concuſſos reddit. Caldobequium nocturnis fraudibus fugientes tegit. Eſparnaium eorum diſceſſum & fugam palàm omnibus oſtendit: Drocenſes dedecus & turpitudinem augent.

Expugnatæ & vi receptæ ciuitates eum potentem & fortem prædicant, ſponte deditæ fidum, interceptæ & dolosè ſubreptæ clementem affirmant. Illi vincere, non vinci ſemper contigit: numquam victus, ſemper victor capiti palmas lauróſque intexuit.

Deo duce, iuuante & opem præbente ad Lilia auita ductus, & deductus eſt: eodem numine auxiliante, ab inſidiis & parricidarum manibus & telis ſeruatur, & protegitur. Anima eius cœlo ſuadente, ſingulari ſapientia & prouidentia prædita & præmunita, coniurationes, & nefanda conſilia, quæ Gallicas diſcordias perpetua molitione fouebant, rumpit & diſsipat.

Contra hoſtes partis victoriis ſui ipſius victoriam addit: veritatem amplectitur, fidem manibus ad cœlum extenſis agnoſcit, Eccleſiæ ſinui reponitur, & Rex Chriſtianiſsimus in antiquiſsimo totius orbis Templo oleo ſacro inungitur, & coronatur. Hinc ſpectrum ſublatum, fucati colores extincti, prætentiones conciſæ, pugnandi cauſæ excuſſæ, fœderationes & coitiones terminatæ, auxiliorum fiduciæ extortæ, malorum temeritati frænum impoſitum, & bonis de fide timentibus ſecuritas data.

Meldæ, Lugdunum, Aurelia, Biturix reliquorum deditione

tione ad ſanitatem perducuntur, factionibus eiuratis Regem agnoſcunt, ad viam priſtinæ fidei redeuntes, & debito obſequio ſe ſubmittunt. Domicilium veritatis in corde, & ore eius. Hoc oraculo excitati hoſtes etiam infenſiſsimi, & potentiſsimi, huius verbis ſolis fidem adhibere non reluctantur, & ſecuritatem innoxiam experiuntur.

Lutetiam capit clementia exuberante, Magiſtratus reſtituit; Iuſtitiam in priſtinum ſtatum redigit; Vrbem fœlicitate, & rerum omnium copia replet; exteris hoſtibus pauentibus dat veniam, & eos armatos impunè exire, & reuerti ſinit, ſempiternæ ſuæ gloriæ monimentum præbens, & magnitudinis animi, qui numquam timet, nec odit.

Hoſtium Laodunũ fit ſepultura, fons Francicus faſtuoſos, prælio victos & ſuperatos, ad pedes Regis prouolutos, ſupplices reddit. Strata ſuperbia, & ferocitate profligata, nec elatus eſt iracundia victor; ſed eos humaniter excipit.

Minores ciuitates, quæ maiores inſanientes in defectione imitatæ erant, eas in obſequio ſectantur. Burgundiam Rex ſubiugat; Comitatum ingreditur, & inuadit. Belli ciuilis faces fœliciter extinguit, iudicium & pœnas non exercet, vt contineantur qui contineri non poterant, omnes res præteritas perpetuæ obliuioni tradit, delictis in vaſto ſuæ clementiæ mari ſubmerſis, & indulgendo, pro pœnis præmia & remunerationes ſtatuit.

Rex Chriſtianiſsimus clementia affluente amneſtiam edixit, & Edictum in Curiis promulgari iuſsit cum iure poſtli

postliminij: eo enim omnia commissa obliterata, atque abolita, venia irrogata; eius subditis, qui visi erant in eum infirmæ fidei, postliminium personæ, famæ, ciuitatis, & bonorum illis hoc Diplomate datum.

Regionem Phocensem pacat: Feræ peruicaciam & feritatem perdomat: Massilia libertatem recuperat cæso authore suæ seruitutis. Regni Proceres & Ordines Rothomagi cogit, vt eorum consiliis vtilitati publicæ consulatur. Edicta confirmat, & promulgari iubet, quæ pacem & quietem publicam firmant.

Receptis Ambianis, stante victoria, impossibilitate armorum, æquitati & iustitiæ cedente Regio, viris armísque nobilis, & seminaria hostilis exercitus, vidit & nouit quid sibi vtile erat; Pacem petit & expetit communis Christianorum parentis intercessione, & hoc obtinet captarum vrbium deditione, & diuturni belli fructibus restitutis. Armorica palmarum fœlicitati resistere nequit, & tantæ victoriæ victori cedit.

Vt pacem integram & perfectam reddat, ad Alpes irrumpit cum exercitu; Mommelianum conspectis armatorum copiis trepidat & timet; vi cogitur ad deditionem, & accipitur. Insubria Regni Galliæ fit terminus; Mediolanum ne fiat idem, pertimescit; Italia commouetur, & stupescit. Ille inuictissimus insontes metu soluit, cùm se armatum ad ius suum vindicandum, & ad ea quæ sua sunt recuperanda, notum omnibus facit. Renitentia non obstat, victoriam non

impedit, & palmarum prosperitatem non cohibet; Amor solus publicæ quietis incœpta sistit consilia: victoria potitus, suisque recuperatis triumphantissimus victor ad suos reuertitur.

Laudatissimæ Principi MARIÆ MEDICEÆ priùs virtutum Reginæ, quàm Galliæ, Deo auspice coniugio copulatur. Hinc Regia futura propago, quæ Liliorum æternitatem promittit. Lugduni solennia nuptiarum celebrantur.

Iustitia clementiæ longo tempore permixta, veniæ, non supplicio locus erat: temeritate verò humanitati illudente, tantùm seueritate profectum est eo iubente, vt quod insanabile visum erat, morte punitum sit. Lentus in suo dolore, existimauit non conuenire se Reipublicæ iniurias largiri, & condonare, vnde nece vni pro securitate Regni illata, timor pluribus, exemplum omnibus, impio facinore profligato, molitionibus suffocatis, initiisque tumultus eradicatis. Opportunè paci paratas insidias destruxit, & celeritate remediorum, rumores quibus populi commoueri solent, extinxit, quiete bonis artibus indigente, venit, vidit, vicit.

Sedanum primas armorum coruscationes ferre non potest, nec adsunt qui eius fulgura, tempestates & ictus expectare queant. Qui noua principia belli moliuntur, temeritate inani feruntur. Omnibus terror fuit semper; in pugna superior euasit fortitudine, vigilantia & festinatione omnia nefanda consilia discutit, & coitiones nefarias

diſsipat, tranquillitate publica ſecura & illæſa remanente.

Tanti nominis & tantæ authoritatis Principi fides ita ab omnibus adhibetur, ita faſtigium ſupremæ gloriæ adeptus eſt, vt eius voluntati tanquam legi, eius conſilio tanquam ſanctioni deferatur. Huius conſulta Pontificium Prætorium admirari, Italiam venerari, Belgas obtẽperando ſequi.

Huius auſpiciis innixa Regno quies, & ea fruitur pace quam dedit omnibus magno ſuæ vitæ diſcrimine, & ſanguinis pretio, ſeptémque ſuæ ætatis luſtris.

Animos diſcordes & vecordes conciliat, ſubditorum mentes diuiſas, & diuulſas vnit, motus animorum nefariis nouíſque rebus ſtudentium cohibet; artes proſtratas reſtituit, & reſtaurat. Edictis promulgatis exules & proſcriptos priſtinæ libertati reſtitutos reddit. Commercia reflorescunt, ſcientiæ reſurgunt, & ita omnia inſtaurat, vt videatur neceſſe fuiſſe, Galliam ab hoſtibus deformari & conculcari, vt diruta & ſemiſepulta eius armis reſurgeret, & in lucem emitteretur.

Fidei auitæ maiorum ſuorum propagator, aſſertor, propugnator, & auctor, Religioſos diligit, omnes Ordines amplectitur; Patres Societatis Ieſu in domo ſua auguſta Flexiæ fundat; in ea Collegium conſtrui facit egregia liberalitate, & ampliſsimis dotat reditibus. Cor ſuum Regium & auguſtum poſt obitum ibi locari iubet. Multas Galliæ Eccleſias belli ciuilis malo ab hæreticis euerſas reſtaurari & reſtitui fœliciter præcipit.

Galli poſt pacem initam, rixis & contumeliis inter ſe contendebant, certamine ſingulari pugnabant, & more barbaro enſibus & pugionibus vita ſe interficiebant, ſpretis diuinis & humanis legibus. Nulla dies ſtabat ſine aliqua internecione, multi nobiles, & Martis alumni occidebantur. Bellum tantam cladem vaſtitiémque Gallis non intulerat. Itaque eò ventum eſt, vt lege & interdictione effuſio iſta ſanguinis fuerit coërcenda; vt illa horrenda ſpectacula prorſum tollerẽtur. Rex Chriſtianiſsimus publica lege huiuſmodi certamina vetuit, & Diplomate edixit, nequis in poſterum pugna ſingulari dimicare auderet ſub pœna mortis, & bonorum publicationis. Hoc Edictum ſolenniter à Rege in auguſtali Conſilio, Decurionibus conſiſtorianis præſentibus, iuramento firmatum, & in Curiis promulgatum.

Victoriæ eum ſemper Auguſtum formidatum & dilectum effecerunt. Regias quinque ſtirpes & propagines ob ſalutem publicam cœli beneficio natas creſcere videt, pietatem colit: in ædificiis conſtruendis magnificentiam oſtendit, in donis munificentiam & liberalitatem: in deligendis hominibus iudicium: in dictis, reſponſiſque ingenij acumen & viuacitatem: in fortuitis & aduerſis conſtantiam & magnanimitatem: fide erga ſocios & fœderatos præfulget, moderatione & prudentia erga omnes; iuſtitiam vnicuique reddit, æquum bonúmque diſtribuit. Patiens laboris eſt, otij impatiẽs, negotia ſemper pro ſolatiis accipit.

Regia

Regia huius coma quæ canescit, vsu rerum, & frequentibus curis, vigiliisque dealbata est; lauri quæ caput cingunt, collectæ sunt in victricibus campis, in ordinatis vtrinque tribus aciebus, vbi pugna vniuersali pugnatum, in triginta quinque fortuitis exercituum occursionibus, in centum & quadraginta manipulariis præliationibus, vbi ipse manu propria dimicauit, & in trecentis vrbium & castellorum obsidionibus.

Ex his omnibus fata & nata est illa ingens & perpetua fama, quæ singulari Dei beneficio eum publicæ tranquillitatis protectorem, Regni restauratorem, Ecclesiæ ornamentum, Imperij Christiani arbitrum, & totius orbis delicias reddit.

MARIA MEDICEA thori sui consors facta, in solennibus nuptiarum Regina & Augusta proclamata, nondum coronata, eo præcipiente coronatur corona aurea, pyropis & margaritis ornata, in vetustissimo Sancti Dionysij fano, ipso Rege præsente, Principibus, & præcipuis Regni Proceribus præsentibus. Cumulantur benedictiones, fit acclamatio exultationis, vndique Regia pompa, & publica lætitia adsunt, festiua & triumphalia conuiuia, lusus iocíque subsequuntur III. ID. MAII. M. DCX.

Regina festo apparatu intra paucos dies vrbem populosam & celebrem, cæterarum vrbium matrem ingressura erat. Itaque ciues læti supplicibus votis faustísque ominibus diem ingressus expectant, supellectilia & flores præparant,

vt vias quibus in Palatium Regium peruenitur, ſparſis vndique ſertis exornent. Portas virentibus foliis & floribus coronant; calet omnibus animus ad lætitiam; gratulantes dant operam, vt accenſis funalibus dies augeatur. Sacerdotes, Senatores, Conſules, & Decuriones feſtum occurſum deſignant, vt ſydus iſtud ſalutare excipiatur. Iam effuſæ in publicum turbæ longam ſeruitutem vouentes; lætitiam teſtantur.

Paulò pòſt lætitia publica futuri ingreſſus in lacrymas vertitur, Rex Chriſtianiſsimus, regia maieſtate ad ſummũ ſplendoris & gloriæ faſtigium euecta; debellatis hoſtibus; Regno pacato; terrore orbi incuſſo; victa fortuna; inuidia ſuperata; dum pace quam omnibus dederat, fruebatur, dum pompas, ſolemnitates, & honores Reginæ decernebat, dum per vrbem Pariſiorum curru vehebatur, hora ſua triſtis & fatalis properauit, & vltrà vitæ ſpiritum denegauit. Immanis parricidæ dextera præceps impium ferrum duxit, & corpus auguſtum tranſegit, vires ſubitò defecerunt, & vita extincta eſt PR. ID. MA. M. DCX. Sereniſsimam MARIAM MEDICEAM coniugem, & ſobolem ſex liberorum reliquit ſuperſtitem.

Regis morte audita protinus facies vrbis mutatur; omnes attoniti, gemitus & planctus effundunt, & in luctum ſoluuntur; Regina extremo dolore tangitur, eius vultus vberrimo lacrymarum fonte irrigatur, ſuſpiria & lamenta ex imo pectore trahit. Plures verentur ne Regni moles

moles corruat, factionibus, & seditionibus iterum concidat, mutationibus obnoxia.

Corpus, Regum consuetudine, differtum, & odoribus conditum, tumulo Regio in Ecclesia Sancti Dionysij, vbi mausolea prædecessorum extant, infertur summis Regiisque honoribus decretis, ductis publicè exequiis, funere, pompa maxima, illustri; solennibus celebratis laudatione, longa oratione sequuta, antiquitate generis recitata, Triumphis enumeratis, virtutibus commemoratis, & quòd eo regnante omnia prospera euenerant Reipublicæ. Cor eius Flexiæ in Ecclesia Ordinis Societatis Iesu repositum; vndique fletus & gemitus; Principes & Proceres, & omnes Ordines in lacrymas effusi.

TABVLÆ

VICTORI
AC TRIVMPHATORI
CORONÆ DD
TABVLÆ
TRIVMPHALES
HENRICI IV.
COGNOMENTO MAGNI
GALLIARVM ET NAVARRÆ
REGIS.
AVTHORE
PETRO CORNVTO
IN SVPREMA CVRIA
DELPHINATVS
REGIO
SENATORE.
MARS
GALLICVS
HERCVLES
GALLICVS

AD LVDOVICVM XIII.

GALLIARVM ET NAVARRÆ REGEM CHRISTIANISSIMVM.

ADHVC Tabulas, Regum Maxime, tibi offero, Tabulas Triũphales, & tales quæ æternæ memoriæ Principi Henrico Magno, Regi inuictiſſimo, genitori tuo dicari debent. Talis fuit, vt ſine exceptione laudandus ſit, virtute propria, & fortuna claruit, Galliæ vindex, & propagator, furentibus ſe oppoſuit, & in caligine ſumma temporum, & deſperatione, tanquam Sol oriens enituit. Dignitate, probitate, ſapientia, magnitudine, Regnum

bellis & diſſidiis turbatum reſtaurauit, fulcrum Imperij, religionem, & pietatem ſeruauit, & à rebus geſtis cognomen Magni accepit. Eius Annales,& geſta, ſunt flores virtutum, & præcepta belli & pacis. Omnes Principes potentia, & prudentia ſuperauit,perpetua omnium admiratione,& fatente inuidia. Eius æthereum ingenium, alta ſapientia prædituм, per nebulas emicuit, & ab orbe condito non fuit qui maior opere,& re fuerit; fama eius vndique igneſcit,& ſcintillat.Gallia certè Regibus Chriſtianiſſimis, Inuictis, & Iuſtitiæ cultoribus inclyta floruit: ſed inter eos eminet Henricus Magnus,author Gallicæ magnitudinis & gloriæ. Luce ſua & claritudine ſuæ virtutis fulget. Adſunt tibi, Rex Potentiſſime,exempla imitanda, ſi illuſtria ſydera geſtorum eius cõtemplari velis. Hæc in mente fixa habebis, & illum, cuius ſanguinem

&

& partem præfers, nobis reddes: hoc omnes appetunt, & expectant. Interea hoc quidquid eſt operis, Auguſtiſſimæ Maieſtati tuæ conſecro, vt tuis auſpiciis in publicum prodeat. Vale, & pro tua ſingulari & clementia, & humanitate, hoc munus boni conſule, & me in animum parte aliqua admitte.

TABVLÆ

TABVLÆ TRIVMPHALES
HENRICI IV. COGNOMENTO
MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

MAGNO ET INVICTO GALLIARVM IMPERATORI HENRICO IV. OPTIMO, FORTISSIMO, REGNI GALLICI RESTITVTORI, SALVATORI, SERVATORI, CONSERVATORI, PESTIFERÆ TYRANNIDIS EXTINCTORI, DEVICTORI OMNIVM HOSTIVM, VICTORI AC TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO, FVNDATORI PACIS, AC PVBLICÆ LIBERTATIS AVCTORI, PRINCIPI FLORENTISSIMO, GLORIOSISSIMO, INDVLGENTISSIMO, BONO REIPVBLICÆ NATO.

VICTORIIS TRIVMPHISQVE MAGNIFICO D.N. HENRICO, MAXIMO FRANCORVM ET NAVARRORVM REGI, SEMPER AVGVSTO, PIO, FELICI, INVICTO, VIRTVTE FORTISSIMO, ET PIETATE CLEMENTISSIMO.

MAXIMO

MAXIMO PRINCIPI, SEMPER AVGVSTO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI SACRATISSIMO, VBIQVE VENERANDO, PIO, ATQVE INCLYTO VICTORI, AC TRIVMPHATORI OPTIMO, PIISSIMO, PROVIDENTISSIMOQVE PRINCIPI.

Ob vindicatam rebellionem, & splendoris Regni restitutionem

Galli deuoti numini, maiestatíque eius

PP. V. P.

BELLIS CIVILIBVS, FERRO, FLAMMA, & sanguine omnia permiscentibus, Gallis oppressis, suis facultatibus, fortunis, & omni præsidio spoliatis, HENRICVS IV. Galliarum & Nauarræ Rex Augustissimus, Inuictissimus, indignitate scelerum prouocatus, publicæ salutis, & boni publici anxius, hostes funesta clade & interitu memorabili consumptos perdidit, & Galliam incendio malorum dirutam, apparatu summo restaurauit.

CONSILIO, ARMIS, ET FORTVNÆ HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS TRIVMPHATORIS SEMPER AVGVSTI.

Qui animi incitatione & alacritate naturaliter innata, studio pugnæ excitatus, hostium exercitus ad laborem insolitum quotidianis itineribus defatigauit, & nactus dimicandi occasionẽ, in eos profudit, exposcentibus suis militibus, desiderio cõflictus ardentibus, & hostes duplicato cursu fugientes lassitudine confecit, exanimauit, & interfecit.

VICTRI

VICTRICIBVS ARMIS INVICTISSIMI PRINCIPIS HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui sæpe sine pugna,& sine vulnere suorum rem confecit; & quoties facta est dimicandi potestas, animo firmissimo in prælium prodiit,hostium impetum excepit,eorum excursus & vires infregit, suisque ordinibus dispositis dispersos adortus est, & facta multorum cæde semper victor euasit.

ADMIRANDÆ MAGNITVDINIS PRINCIPI HENRICO IV. FRANCORVM ET NAVARRORVM REGI.

Qui tempore viris armisque exercitatissimo strenuè & opportunè bellum gesit, laboribus & periculis iactatus aciem intentionis integram conseruauit, Gallias subegit Fortuna & Virtute fauentibus, Imperium suum constituit, Regnum pacauit.

IMPERATORI TOTIVS ORBIS POTENTISSIMO, FORTISSIMO, ET ARMIS EXERCITATISSIMO HENRICO IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGI.

Quòd sub eo Galliarum Imperium ad nimiam maturitatem & senectutem redactum, præter spem omnium, quasi reddita iuuentute, vires recuperauit, & ad florem pristinum reuertit.

GENEROSISSIMVS ET INVICTISSIMVS PRINCEPS HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, magnarum virtutum ſplendor, perpetua & ſtabili voluntatis permanſione, animi magnitudinem amplexus eſt, pro ſalute publica fortes labores ſuſcepit, vim magnam temporum, rerum varietatem, incertum conſiliorum exitum, flexibiles hominum animos vidit, rebus aſperis & aduerſis non ceſsit, & à ſuſcepta ſemel conſtantia numquam declinauit.

DIVO IMPERATORI HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO IMMACVLATÆ DEVOTIONIS PRINCIPI.

Qui æternitatis ſpe ac ſenſu commotus, veram Religionem agnouit, Deo omni pietatis ſtudio, pura, integra, incorrupta mente ac voce ſeruiuit. Quæ ad optimum, caſtiſsimúmque Dei cultum pertinebant, diligenter obſeruauit, & conſtantia perpetua, virtute, voluntate atque deuotione ciuium ſalutem regníque tranquillitatem inſtituit, & conſeruauit.

PIISSIMVS ET DEVOTISSIMVS IMPERATOR HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, ſola ſpe æternæ vitæ ac gloriæ ſibi propoſita ſe agnitioni Dei vouit, & innocentia vitæ, pietate ac reuerentia mundam & immaculatam Religionem coluit, & iuſto veróque Dei cultu dignitatem Regiam, & publicam tranquillitatem retinuit.

INVI

INVICTISSIMO PRINCIPI HENRICO IV. GALLIARVM REGI OMNIBVS HONORIBVS, DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS PERFVNCTO,

Ob prouidentiam, & ſtatum optimum Regno redditum, corpus omnium ſubditorum P.

INVICTVS, FELIX, INCLYTVS HENRICVS IV. COGNOMENTO MAGNVS, GALLIARVM IMPERATOR, æterni Regni cupiditate motus, vniuerſam ſuam vim ac poteſtatem ad verum iuſtúmque Dei cultum, eiúſque agnitionem, reuerentiam atque dilectionem conuertit. Regni fortem ac conſtantem propugnationem ſuſcepit, iis, qui publicam tranquillitatem impiis ſeditionibus perturbabant, bellum intulit, nullam vitæ dimicationem, nec periculum formidauit, & hoſtium viribus fractis, & in deditionem coactis, rebus proſperè, præclaréque geſtis fæliciter imperauit, inimicis pepercit, tardè vindicauit, & vindictam pro neceſsitate regẽdæ tuendæque Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exercuit.

HENRICVS IV. GALLORVM ET NAVARRÆ REX, Ad auitum Solium admiſſus, in ipſo aditu ferocem populum ad debitum obſequium redegit, vrbes vi & iniuria occupatas ad deditionem coëgit. Auctus viribus, copias exercituum ſanguini & prædæ aſſuetas, frequentibus præliis debellauit, ſpem Gallis, metum hoſtibus dedit, opti-

mum Reipublicæ ſtatum impoſuit, Gallias diuiſas in ſuum corpus reſtituit, ad ſimilitudinem cœleſtium ſyderum, Regni cuſtos vigilauit, Imperium Religione, atque Iuſtitia gubernauit.

INCOMPREHENSIBILI SAPIENTIÆ HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, FRANCORVM REGIS AVGVSTI.

Qui ſibi imperauit, & affectiones ſua imperio ſuo ſubiecit, antequam aliis imperaret, vt Regnum firmum, ſtabile ac diuturnum foret, & firma conſiliorum ratione, animo erecto, ſtudio vehementi, indefeſſa patientia, ſaluti, dignitati & excellentiæ Reipublicæ proſpexit, & omnium magnarum rerum gloriam adeptus eſt.

RECTVS, MODERATVS, ET OPTIMVS PRINCEPS HENRICVS IV. FRANCORVM ET NAVARRORVM REX, omnia quæ ad Reipublicæ ſplendorem, Imperij maieſtatem, & ſalutem plebis pertinebant, reſtituit, reſtaurauit direxit; ſanctè, iuſtè, innocenter regnauit. Gallias ægras & languentes florentiſsimas reddidit, & ciues eodem iure, atque benignitate retinuit.

OPTIMO MAXIMO PRINCIPI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Quoniam recta & moderata prudentia, & regnandi peritia Reipublicæ ſtatum florentem ac felicem conſtituit, Imperium honore & amplitudine decorauit, ratione & diligentia

ligentia dominatus est, salutem populi, atque dignitatem publicam supremam legem esse voluit; laborantes & oppressos propugnauit, & consilio magnus, beneficio gratus, fama glorioſus, omnes in eadem iuris æqualitate retinuit.

SANCTISSIMO HENRICO MAGNO, FRANCORVM ET NAVARRÆ REGI.

Qui studio vtilitatis communis illectus, singulari magnitudine, temperantia, continentia, prudentia, consilio, authoritate, atque virtute Gallias seditioſis factionibus perturbatas purgauit, populos in suam tutelam recepit & tranquillitatem publicam constituit & conseruauit.

PROVIDENTIÆ HENRICI IV. GALLIARVM IMPERATORIS VERE AVGVSTI.

Qui Regnum ab hostibus liberauit, Imperium pro salute publica restituit, & omnium desideriis satisfecit;

Galli deuoti memoriæ tanti Principis

P P.

MAGNO REIPVBLICÆ GERENDÆ PRINCIPI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI SANCTISSIMO, PIISSIMO.

Qui ab omnibus cogitationibus ad vnam Reipublicæ salutem conuersus, quod salutare maximéque optabile omnibus erat, cum dignitate amplexus est, & in magnis Reipublicæ tempestatibus, in securæ tranquillitatis portum nauem Regni saluam & incolumen euexit.

INVICTVS PRINCEPS HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, alta & diuina mente præditus Reipublicæ clauum tenuit. De rebus bene ac præclarè gerendis cogitauit: in negotiis temperatam rationem habuit; nihil temerè aut periculosè egit; longa animi prouisione, scientia, ac diligentia, quod vtile fuit Regno, cognouit; Gallias motibus, ac temporum conuersionibus perturbatas sedauit, rerum gestarum & gloriæ sempiternæ monimenta posteritati reliquit.

IMPERATORI PROVIDENTISSIMO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI AD GLORIAM ET DIGNITATEM REGIAM NATO.

Qui magnitudine animi, robore, fortitudine, & magna rerum cognitione præditus, maiorem Reipublicæ curam, atque custodiam amplexatus est, & fæliciter regnauit.

MAGNVS, INVICTVS PRINCEPS HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, officij atque potestatis suæ amplitudine cognita, grauitatem & constantiam in Reipublicæ administratione adhibuit, omnia vitæ studia ad vtilitatem communem retulit. Quod lex, quod æquitas, quod Religio postulauit, cogitauit & fecit: Galliam saluam & incolumem conseruauit.

Galli eius maiestati deuotissimi gestorum suorum memoriam æternitati D D.

OPTIMO

OPTIMO PRINCIPI A DEO IMPERIO GALLIARVM PRÆFECTO HENRICO IV. FRANCORVM REGI.

Quòd labentem & cadentem Rempublicam ſuſcepit, ac fulciuit; Regni clauum in magnis tempeſtatum fluctibus tenuit, ſalutem ciuium in ſua tutela, fide, atque cuſtodia defixam, & non humana, ſed diuina prouidentia omnes partes Reipublicæ ſaluas & incolumes ſeruauit.

PERPETVA OMNIVM ADMIRATIONE DIGNISSIMO SERVATORI NOSTRO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI, VICTORI SEMPER AVGVSTO.

Quòd inuictus operis ac laboris acriter pugnauit, beneficio Fortunæ vſus eſt, rebelles ſalutem petere, exteros è finibus ſuis exire coëgit: & hoc perfecto opere, ſibi dignitatem, ſuis libertatem recuperauit.

DN. ET SERVATOR HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, Regno in poteſtatem hoſtium redacto, vidit bellorum calamitates, agrorum vaſtationes, populorum cædes, vrbium exitia, optimorum captiuitates, multorum inopias, & omnia maximè luctuoſa, ſummèque miſeranda.

Aſt incredibili celeritate, ſolertia, prudentia, ope, auxilio, armis hoſtes profligauit, victoriam acquiſiuit, Imperium & gloriam adeptus eſt. Ex eo Galliæ contigit ſalus & quies.

DIVI

DIVINÆ VIRTVTI, ET EGREGIIS EXIMIISQVE FACTIS HENRICI IV. GALLORVM ET NAVARRÆ REGIS: cuius excelsum laudis testimonium æterna vigebit memoria.

SEMPITERNÆ MEMORIÆ

HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS, REGNI LIBERATORIS.

Cuius gloria neque interitu, neque ipsa confectrice omnium vetustate vnquam peribit.

GALLIA ingenti bellorum clade oppressa, plures libidine dominandi, vel odio aduersus dominationem, obsequium & fidem erga Principem exuerant; Regia maiestas elusa erat acerrimis seditionum ac discordiarum incitamentis, scelere & metu mixta erant omnia; Regnum vndique collapsum iacebat.

Eo tempore HENRICO IV. Galliarum & Nauarræ Regi cura fuit salutis publicæ & posteritatis. Armis, consilio, & virtutis regimine omnem potestatem Reipublicæ ad se legitimum Regni successorem contulit. Se ad auitum Solium deduxit, subditos ad obedientiam reduxit, æmulos metu compleuit, exteros pacem petere coëgit.

MAGNO,

MAGNO, AVGVSTO PRINCIPI, MAXIMO ET FORTISSIMO IMPERATORI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Qui generosissimis equitum peditúmque copiis comitatus, celeriter in hostes procurrit, & tanta vi in eos impetum fecit, vt eorum nemo sæpissimè consistere ausus sit, omnésque protinus loco excesserint, & fuga salutem petierint.

VICTORI AC TRIVMPHATORI SEMPER OPTIMO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Qui pugnántes & resistentes in acie hostes circumiuit, eósque in fronte, à latere & à tergo adortus est; in locos finitimos refugientes est persequutus, in deditionem venientes excepit, acriter pugnæ insistentes superauit & interfecit; neque vnquam militum suorum sanguine abuti voluit: sed recentes & integros defessis substituit.

IMPERIALI CELSITVDINI, IMCOMPARABILI SVPREMÆQVE VIRTVTI, INSIGNI ET NVMQVAM SATIS LAVDATÆ OMNIVM RERVM QVÆ PACE ET BELLO TRACTANTVR, EXPERIENTIÆ HENRICI IV. GALLIARVM IMPERATORIS AVGVSTISSIMI.

IMMORTALI SINGVLARIVM LAVDVM GLORIÆ HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS PRINCIPIS INCOMPARABILIS. Cuius incredibilis magnificentia tanquam sydus & decus super omnes Principes claruit.

MAXIMVS ET AVGVSTISSIMVS PRINCEPS HENRICVS IV. GALLIARVM IMPERATOR, animi magnitudine & rei militaris peritia præditus, in asperrimis quibusque bellicorum insultuum conatibus, & desperatis vt plurimùm belli euentibus, consultissimo & censorio iudicio vsus est, atque armorum authorato robore omnibus imperauit.

AVGVSTISSIMO VIVENTIVM SVI TENPORIS IMPERATORI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Qui fuit insignis clementiæ, & in omnes humanitatis.

VICTORIIS TRIVMPHANTISSIMVS HENRICVS IV. GALLORVM ET NAVARRORVM REX, vel pulcherrima, vel opere difficillima aggressus est, & memoranda virtutum facinora cœpit & perfecit; pro communi pace & concordia certare extremam sibi gloriam putauit, & mori lucrum.

HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI EMINENTISSIMO, MVTVÆ CHARITATIS, CONFÆDERATIONIS ET AMICITIÆ AMATORI, CVLTORI, AVTHORI.

HENRICVS IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REX, Christianorum Principum specimen, columen, exemplar & decus, orthodoxæ Christianęque Religionis, & fidei

Catho

Catholicæ optimus zelator, militantem Ecclesiam instauravit, fouit & protexit.

VICTORI TRIVMPHANTISSIMO HENRICO MAXIMO FRANCORVM REGI.

Qui gentem extraneam, exosam & inuisam sæpius ad bellum prouocauit, profligauit, & multis victoriis superauit.

PRINCEPS IMMORTALIS GLORIÆ HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, rerum omnium, corporis & animi opulentia, & vbertate clarissimus, innumera suarum virtutum monimenta reliquit, magnificentiæ, munificentiæ, liberalitatis, militaris excellentiæ, magnitudinis, & clementiæ.

ALTISSIMÆ SVBLIMITATI HENRICI MAXIMI FRANCORVM REGIS INVICTISSIMI;

Qui suis immensis meritis, & innumeris rerum optimè gestarum monimentis sempiternitati temporis, & numquam perituræ memoriæ dicatus est.

CLARITVDINI HENRICI IV. COGNOMINE MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui tot insignibus belli pacísque virtutibus claruit.
Cuius memoriam Gallia reueretur, amat, veneratur.

EXCELLENTIÆ EMINENTISSIMÆ

AVGVSTISSIMI PRINCIPIS HENRICI IV. GALLIARVM IMPERATORIS.

Cuius heroicæ virtutes ſingulari imitatione dignæ tanquã numina inter mortales radiis immortalibus coruſcãt.

PATRIÆ PATRI SERVATORIQVE NOSTRO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI, PRINCIPI OPTIMO.

Qui ſumma rerum ductus experientia, bellorum ciuilium furores, ſimultates, diſcordias, æſtus, & horrificos pernicioſóſque impetus conatibus & beneficiis compreſsit.

ADMIRANDÆ MANSVETVDINIS PRINCIPI HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO, FRANCORVM REGI DIGNISSIMO.

Qui pro communi omnium libertate, initiis auſpicatis certare occœpit, & deinceps auſpicamentis fœlicibus hoſtes profligauit & fugauit, nefarios conatus conculcauit, & rem ipſam eò deduci curauit, vt Gallia concordiam & pacẽ coiuerit fœdere perpetuo, nexu nodóque indiſſolubili.

PIISSIMÆ AC TRIVMPHALI PIETATI HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS SANCTISSIMI.

Quòd non minùs conſilio quàm gladio ſuperauit, & miſericordia, clementia, lenitate ductus, ſubditis ſaluis rem obtinere maluit.

ÆVI

ÆVITERNITATI

HENRICI IV. FRANCORVM REGIS INVICTISSIMI.

Qui bellum aduerſus Regni hoſtes ſumpſit, fortiſsimè dimicauit, exercitus deuicit, & de inimicis ſæpius publicè triumphauit.

HENRICVS IV. GALLORVM ET NAVARRORVM REX, VICTOR ET TRIVMPHATOR SEMPER OPTIMVS, cognomen Magni, moribus & animi magnitudine meruit. Bello ſtrenuus Gallos ſeditioſos, & exteros intumeſcentes, qui partem Galliæ prædati erant, domuit, vrbes captas expugnauit, & in poteſtatem redegit, & hoſtibus conſternatis ſpolia opima in templis Deo Opt. Max. conſecrauit.

HOSTIBVS perterritis, compulſis, defeſsis, laſsitudine confectis, longa belli ciuilis ſtrage fatigatis, ſummæ rei diffidentibus, auxiliis & præſidio deſtitutis, ſalutem petentibus, armis ſignísque militaribus miſsis;

HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, ad omnem laborem animo paratus, vſu peritus, & pugnis ſuperioribus exercitatus, victor & triumphans ſua ſponte curſum repreſsit. Exteros è Regni finibus exire coëgit, Gallos conſeruauit, Templum Iani clauſit, pacem omnibus dedit.

GALLIA incendio flagrante, armis imperantibus, desperata omnium salute;

HENRICVS IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REX, ad quem summa Imperij pertinebat, qui semper boni publici commoda priuatis necessitudinibus habuit potiora, acriter & celeriter dimicauit, pugnauit, plurima prælia secunda & prospera fecit, Regni existimationem & dignitatem ab inimicis defendit; labore magnas controuersias extinxit; Rempublicam fæliciſsimè gesit, omnem Galliam liberauit, & pacauit, & sua æquitate res ad otium pacis vniuersæ deduxit.

DVM IN GALLIA, omnia raptim atque turbatè agebantur, dum arma imperabant, diuina & humana iura permiscebantur;

HENRICVS IV. FRANCORVM IMPERATOR AVGVSTISSIMVS, neminem dignitate secum exæquari voluit, ne quid detrimenti Respublica pateretur, operam dedit, copias & exercitus comparauit, bellum gesit, hostes persequutus est, exteros debellauit, Gallos ad debitum obsequium reduxit, venit, vidit, vicit.

CLEMENTIÆ PII, FELICIS, ET INDVLGENTISSIMI PRINCIPIS HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui salutem victis dedit, & hostibus fallacibus, sem-

pér

pérque alia cogitantibus, alia ſimulantibus, tamen dare veniam petentibus peperit.

HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, POTENTISSIMVS, armis ac prudentia Regnum recuperauit, & bellis ciuilibus extinctis populos in pace ac officio continuit.

HENRICVS IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REX, Hvrbibus quæ defecerant redactis, Gallia tota pacata, maximis periculis ſeruitutis atque interitus liberata, Magni nomine inde capto, Sabaudia expugnata, Seguſianis ſubactis, exactis triumphis, Regnum incolume virtute ſua, & conſilij ſui fœlicitate ſeruauit.

HENRICO IV. FRANCORTM ET NAVARRÆ REGI FORTISSIMO PROVIDENTISSIMOQVE.

Quòd in Galliarum Regno induſtriè, & prudenter adminiſtrato, omnibus ſubditorum deſideriis ſatisfecit;

Generoſi duces numini maieſtatíque eius lubentes

PP. V. ÆTERN.

AVGVSTO PRINCIPI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI TRIVMPHANTISSIMO.

Quoniam rei militaris peritiſsimus, armis, manu, pugna, fortitudine, prudentia, clementia, indulgentia, men-

tes

tes ſubditorum diuulſas ad commune ſtudium coëgit, & ſe ad auitum Solium fœliciter deduxit.

HENRICVS IV. FRANCORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS Gallicas ſeditiones armis extinxit, vindicata rebellione, hoſtes compluribus victoriis ſubſequendo coërcuit, eorum exercitus fudit & deleuit, & omnes qui armati plurimas partes Galliæ occupauerant, domuit; Sabaudiam totam, & Seguſianos ſubegit; Victor & triumphans Regnum & populos in pace conſeruauit, & maioribus auſis ſe ipſum, & Gallias coronauit.

VICTORI SEMPER OPTIMO

HENRICO IV. FRANCORVM ET NAVARRORVM REGI.

Qui totus apertus, miniméque inſidioſus, virtutè, non dolo dimicare conſueuit, hoſtium dolos, inſidias & artificia cognouit, & quid ſequi, quid vitare oportuit; & lenitate, clementia, miſericordia multos ad deditionem inuitauit; fructum virtutis & animi magnitudinis tulit.

PRINCIPI IMMORTALIS GLORIÆ

HENRICO IV. FRANCORVM REGI ANIMI MAGNITVDINE ET REI MILITARIS SCIENTIA PRÆSTANTISSIMO.

Ob res fœliciſsimè & celerrimè geſtas, quæ ad Imperij ſui dignitatem vtilitatémque publicam pertinebant.

HER

HERCVLI VERO HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO, FRANCORVM REGI DIGNISSIMO.

Quòd desperatissimo sæculo magnis cladibus fatigatus, virtutem suam numquam inclinauit, & hostes fortiter ab eo repressi, oppressi, cæsi & debellati sunt.

PROVIDENTIÆ VICTRICI, SAPIENTIÆ ILLVMINATRICI, ET BENIGNITATI ADMIRANDÆ HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS POTENTISSIMI.

Qui sapientissimè pacem Reipublicæ constituit, & clemens, placabilis & misericors semper extitit.

PROSPERITATI VICTORIARVM

HENRICI MAGNI COGNOMENTO, IV. FRANCORVM IMPERATORIS POTENTISSIMI, INVICTISSIMI, CLEMENTISSIMI, VICTORIS SEMPER ET TRIVMPHANTIS.

Qui Galliarum Regnum ferro, flamma, sanguine, vastatione & funere proculcatum, deformatum, dirutum & consternatum adiit, & illud fortitudine, pugna, præliis, solertia, diligentia, viuacitate, festinatione, pietate, prouidentia, prudentia, moderatione, clementia, indulgentia, iustitia & vitute sua refecit, & restituit.

HENRICO IV. FRANCORVM REGI, PIO, FELICI, AVGVSTO;

Qui dimicando, præliando, discordias belli ciuilis sedando, motus efferatos cohibendo, armatorum copias

consternendo, exercitus profligando, acies expugnando, vrbes obsidendo, & perduellibus ignoscendo, Galliarum Regnũ bellicis tumultibus collapsum erexit & instaurauit.

MAIESTATI, VIRTVTI, GLORIÆ, POTENTIÆ, FAMÆ ET IMMORTALITATI HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS FORTISSIMI, AC SVPER OMNES PRINCIPES AVGVSTI.

Quòd Regnum & subditos Marte, rabie, tyrannide, discordia & inopia liberauit, dulci libertate data.

Galli candoris integri, & fidei numquam pollutæ fideliter PP.

D. N. ÆTERNO PRINCIPI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Qui compressis seditionibus, debellatis nationibus, & compositis bellis, victor & ouans sæpius triumphauit.

D.

MAGNITVDINI PRINCIPIS INSVPERABILIS, ET FIDE INSIGNIS HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui defectionis perfidiam vsque ad finem contendentem igni & cædibus vltus est, & in deditionem venientibus paratam clementiam præbuit.

VIRTVTI ET FORTVNÆ SIMVL FOEDERATIS HENRICI MAGNI, GALLIARVM REGIS.

Qui Regnum bellis ciuilibus plenum, variis casibus exagita

gitatum, discordiis & seditionibus oppressum, & atrocibus præliis dirutum adiit, & virtute, armis, prudentia, clementia animos subditorum ad debita obsequia coëgit, & hostes extraneos profligauit, & fugauit.

Gallia capite oleis cincto D. & P.

INVICTÆ VIRTVTI HENRICI IV. FRANCIÆ ET NAVARRÆ REGIS;

Ob nouies Regios exercitus exceptos & propulsos.

ARMORVM INVICTÆ FÆLICITATI HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Ob victorias in Arcuensi, Cotraca, & Iberiaca triplici pugna vniuersali acie vtrinque instructa partas;

Generosi duces & milites PP.

MEMORIÆ PERPETVÆ

INCOMPARABILIS CLEMENTIÆ HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS, FÆLICITER SEMPER AVGVSTI.

Qui ius suum armis persequens, nulla vi victoriam cohibente, Lutetiam excepit, hostes metu liberauit, & ciues publicæ quieti restituit.

Laureati milites & duces, qui pugnauerunt tanti Principis numine auspicante, D D. vt virtus eius augusta æternitati commendetur.

HENRICO IV. GALLORVM ET NAVARRÆ REGI CLEMENTISSIMO.

Ob immensam mansuetudinem largitam, & beneficium collatum in hostes pauentes, excepta deditione Lutetia, & quòd data venia foris armis fulgentibus exierint.

PROVIDENTIÆ AVGVSTISSIMI PRINCIPIS HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui belli ciuilis facibus compressis, discordiis sopitis, Gallia pacata, securitate data, æternum beneficium salutis publicæ subditis dedit, Rothomagi Ordinibus Regni conuocatis.

DIVO TVTELARI HENRICO IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGI, DEBELLATORI FORMIDATISSIMO, PVBLICÆ LIBERTATIS ASSERTORI, qui fusis fugatísque exteris nationibus, quæ Regnũ turbare & inuadere conabantur, discordias & seditiones acerrimis prælíationibus agitauit, & profligauit, rebelles domuit, subiectos clementer excepit, pacem dedit & stabiliuit.

Viuat eius in æternum memoria.

HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI PIISSIMO;

Ob hostes debellatos, Regnum susceptum, iniurias condonatas, vrbes receptas, & Religionem seruatam;

Ex corde & animo D.

VIR

VIRTVTI INCOMPARABILI
HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Quòd Regnum Gallicum à se vindicatum profligatis hostibus, eius singulari prouidentia sublime, & erectum stetit.

REGIÆ MAIESTATI
HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui hostium terror, fortunæ victor, & regni propugnator fuit: & virtute, armis, manu, & indulgentia, ad fastigium splendoris peruenit.

TRIVMPHATORI SEMPER OPTIMO, PIO, FÆLICI INCLYTO, VICTORI GLORIOSISSIMO HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO, GALLIARVM IMPERATORI.

Quòd hostibus deuictis, Regno suscepto, vrbibus recuperatis, ciuibus seruatis, Templo Iani clauso, pietate instaurata, exteris formidolosus, & suis amabilis vixit.

REGIÆ FORTITVDINI HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS, VICTORIS, TRIVMPHATORIS, REGNI INSTAVRATORIS ET CONSERVATORIS.

Ob celebres ab eo partas victorias, Cotracienſem, Arcuenſem, Yurienſem, Diuionenſem & Ambianenſem Galli duces & milites laudem æternam DD.

PIETATI, RELIGIONI, VICTORIÆ, TRIVMPHIS, CLEMENTIÆ, MAGNITVDINI, CHARITATI, GRATIÆ, PACI, IMMORTALITATI HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS, PII, VICTORIS, INCLYTI, FELICIS, CLEMENTIS, PATRIS PATRIÆ, SALVTIS PVBLICÆ AVTHORIS, BONI PVBLICI ASSERTORIS, SVMMI, EGREGII, INVICTISSIMI, FLORENTISSIMI, OPTIMI MAXIMI.

Quòd Regnum Gallicum factionibus, molitionibus, insidiis, clade & impietate violatum, funditus euersum & prostratum susceperit, restituit & instaurauit.

Subditi omnes memoriæ Maiestatis eius addicti deotíque PP. V. ætern.

HENRICO BORBONIO ANTONII FILIO, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI, OPT. MAX. PRINCIPI.

Ob Regnum eius magnitudine & fortitudine liberatum, stabilitum, & assertum;

V. ÆT.

REGIÆ MAIESTATI HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLORVM ET NAVARRÆ REGIS, PII, FELICIS, INCLYTI.

Quòd Galliam, cuius tutela & securitas à Deo sibi commissa erat, instaurauit, & postea saluam & florentem seruauit.

PEREN

PERENNITATI GLORIÆ ET HONORIS HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS, PRIMÆ FORTITVDINIS PRINCIPIS FORTISSIMI, INVICTISSIMI.

Ob hoſtes deuictos, Rempublicam liberatam, Religionem conſeruatam, & pietatem inſtauratam.

VOT. PVB.

CLEMENTIÆ TVTELARI

HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Quòd eius inuicta virtus ſacra amniſtia iniurias ſibi & Regno illatas deleuit, & quòd impio belli ciuilis furore extincto Templum Iani clauſit.

VICTRICI MAIESTATI HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS SEMPER AVGVSTI.

Quòd eius auſpiciis, fortitudine, armis, & virtute incomparabili Reſpublica ſalua ſit, quies recuperata, ſalus populi inita;

Omnes PP. V. P.

FORTITVDINI PRINCIPIS AVGVSTISSIMI HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui diſcerptam & laniatam Galliam vindicauit, periculis ſubduxit, & reſtaurauit.

ARMO

ARMORVM INVICTÆ FELICITATI HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui Regnum Gallicum flammis & sanguine mixtum, à tyrannide, ab hostili vastatione, generali exitio, & vniuersali clade & euersione, & Gallos ab omni afflictione liberauit.

FASTIGIO GLORIÆ SEMPITERNÆ HENRICI IV. GALLIARVM REGIS.

Qui res desperatas, spe, armis, præliis frequentibus, certamine & victoria in optimum statum reduxit.

FELICISSIMÆ VICTORIÆ

HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui restituta Gallia, extinguendarum belli externi facium causa, hostes fastuosos pacem petere, captarum vrbium deditione coëgit.

IMMORTALI GLORIAE

HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Quòd præliationibus, conflictibus & obsidionibus publicam Regno pacem, & quietem subditis dederit.

VIVA

VIVACITATI INGENII, ET ANIMI SAGACITATI HENRICI MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS FELICITER AVGVSTI.

Qui mentem in vultu intueri, & cogitationes anteuertere sciuit, vt audaciæ & temeritati frænum imponeret.

Gallia eius ope, & singulari prouidentia salute publica decorata D.

HENRICO IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGI, TRIVMPHATORI OPTIMO.

Qui Martis aleam sine alea subiit, & semper victor & triumphans, terror omnium, & fortunæ arbiter vixit.

PIO, FELICI, INCLYTO

HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Qui fortitudine in aduersis, fide erga fœderatos, prudentia & iustitia erga omnes claruit.

FAMÆ PERPETVÆ ET NVMQVAM PERITVRÆ HENRICI MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Ob triginta quinque exercitus à se profligatos, centum & quadraginta conflictus à se expeditos, & trecentas obsidiones factas, parta semper victoria;

Generosi duces, & Martis alumni PP.

SORTI PROSPERÆ

HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui virtute, armis, manu, & clementia Regnum ab iniusta possessione vindicauit, restituit, salute populo data,

MAGNO IMPERATORI, ET FORTISSIMO ORBIS CONSERVATORI, MAXIMO ET AVGVSTO PRINCIPI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Quòd eius ductu & auspiciis omnes Gentes quæ Gallico Regno subditæ sunt, sub imperium suum reductæ fuerunt;

Vniuersi Ordines DD.

PROVIDENTISSIMO, VIRTVTE FORTISSIMO, PIETATE CLEMENTISSIMO, MAXIMO PRINCIPI, INVICTO ET AVGVSTO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Ob causas & vtilitates publicas rectè & fortiter ab eo gestas;

Æternæ memoriæ monumentum Regni incolæ PP.

PIETATI ET NVMINI

OPTIMI, FORTISSIMI, ET INDVLGENTISSIMI PRINCIPIS HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Ob insignia eius gesta, & illustria facta Galli collocarunt Regi dignissimo.

FORTIS

FORTISSIMO PRINCIPI, HERCVLI CONSERVATORI, RESTITVTORI REGNI, INVICTISSIMO ET VICTORIOSISSIMO PRINCIPI HENRICO IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGI.

Ob singularia eius erga Gallos beneficia, & moderationem pro documento posteris relictam.

Subditi numini maiestatíque eius semper dicatissimi poni curauerunt.

INVICTO, AVGVSTO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Quòd de auito Regno fuerit meritissimus, communi omnium voto.

HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO, GALLORVM ET NAVARRÆ REGI OPTIMO MAXIMO, PRINCIPI SEMPER AVGVSTO.

Quòd inimicos Galliam vastantes magna clade profligauit;

Galli intemeratæ fidelitatis PP.

AVGVSTO, INCOMPARABILI HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Quoniam Gallos bellis oppressos, suis facultatibus, fortunis, & omni præsidio spoliatos, consilio, armis, manu, & felicibus auspiciis liberauit, & laribus bonis, auitis & quæsitis restituit. D.

HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI, PRINCIPI IMMORTALI GLORIA DIGNISSIMO.

Quòd indignitate ſcelerum prouocatus Regni hoſtes in deditionem venire nolentes funeſta clade & interitu memorabili conſumptos perdidit.

DIVÆ MEMORIÆ ET IMMORTALIS GLORIÆ PRINCIPI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Cuius virtutes, & heroica facta viuunt, & laudis ſempiternæ exemplar ſuppeditant.

HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI PERPETVA OMNIVM ADMIRATIONE CELEBRATO.

Qui felicibus auſpiciis, & pluſquam heroicis operibus Galliam bellorum ciuilium clade colliſam, & propria virtute exhauſtam refecit & erexit.

INSOMNI SOLERTIÆ HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Quoniam fortitudine inſuperabili & fauſto armorum progreſſu collapſi Sceptri, & protriti diadematis caput erexit.

VICTORIIS ET MAIORIBVS AVSIS HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS AVGVSTISSIMI.

Quibus auguſtior fore, & longè potentior Gallica Monarchia indubiè ſperabatur.

FRAN

FRANCORVM IMPERATORI HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO.

Quòd illo vindice Gallia hoſtili prædæ & vaſtationi ſubducta eſt.

PROVIDENTIÆ

HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS SEMPER AVGVSTI.

Qui ſibi procreandæ Regiæ ſtirpis cauſa ad Liliorum æternitatem Auguſtæ principi MARIÆ MEDICEÆ nupſit.

Feliciter viuant propagines ex illo matrimonio ortæ.

MAGNIFICENTIÆ PRINCIPIS OBSERVANTISSIMI HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui ædificia mirabilia in diuerſis Regni partibus conſtrui iuſsit.

Extabunt ad æternam ſui memoriam.

IMPERII CHRISTIANI ORNAMENTO HENRICO MAGNO, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI POTENTISSIMO.

Quòd ciuilibus bellis pacatis, pace Regno & exteris data & confirmata, iuſtitiam, artes, & commercia reſtituit & inſtaurauit.

VICTORIIS TRIVMPHANTIBVS

POTENTISSIMI ET INVICTISSIMI HENRICI IV. COGNOMINE MAGNI, GALLIÆ SPLENDORIS, REGNI ORNAMENTI, PACIS PVBLICÆ CVSTODIS.

MAGNIFICENTIÆ

HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLIARVM IMPERATORIS AVGVSTI.

Qui Lutetiæ nouum pontem ſuper Sequanam ab HENRICO III. Francorum Rege cœptum, quaſi à fundamentis conſtrui iuſsit, & conſummauit.

Pio, atque inclyto numini maieſtatíque eius Pariſienſes ſemper deuotiſsimi collocarunt.

INTEGRO ET RECTO PRINCIPI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Qui languentem & deſertum populum, in latere & luto demerſum liberauit, Reipublicæ ſtatum in ſua tutela atque fide collocauit, rerum gerendatum præſidium accepit, & morum ac vitæ innocentia, animi magnitudine, atque conſtantia, virtutum omnium cultu, atque dignitate ſubditos omnes in honeſta officiorum Religione retinuit.

VICTORIÆ PERPETVÆ INCOMPARABILIS PRINCIPIS HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui pace Galliæ reſtituta ſuper Alpes irruens cum exercitu, vt ius ſuum perſequeretur, Sabaudiam, & Brexiam præliis

liis & obsidionibus cepit, & victor rediens triumphauit.

Galli Principi deuotissimi PP.

PIETATI

PII, FELICIS, ET INCLYTI PRINCIPIS HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS MERITISSIMI.

Quoniam fide Catholica Regnum firmauit & stabiliuit, Religiosos Ordines dilexit, & amplexus est; Patres Societatis Iesu Flexiæ in domo sua Augusta fundauit & dotauit, & eos viros præstantissimos, tanquam cohortes & fortia propugnacula aduersus hæreses in diuersis Regni partibus dispositi & collocauit.

Omnes Galli fidei auitæ sectatores deuoti numini eius

DD.

SANCTÆ RECORDATIONIS PRINGIPI HENRICO IV. FRANCORVM REGIS INVICTISSIMO.

Qui exercitus inimicos deleuit, Regnum seditionibus agitatum, pacatum reddidit, singulari virtute Gallos incolumes fecit, & seruauit.

MAGNO ET IVSTO PRINCIPI HENRICO IV. FRANCORVM REGI

Qui vim atque iniuriam Regno illatam bello propulsauit, & Imperij maiestatem restituit & auxit.

ADMI

ADMIRABILI PRVDENTIÆ

HENRICI IV. GALLORVM REGIS AVGVSTI.

Qui dignitati, ſaluti, atque laudi publicæ natus, Regnum deprauatis moribus cõſpurcatum, cõmunium temporum inclinatione defœdatum, & belli ſæuitia deiectum, in optimum ſtatum reduxit, & Rempublicam ſaluam fecit.

MAIESTATI ET MAGNITVDINI

AVGVSTI PRINCIPIS HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Quoniam ægras & propè depoſitas Reipublicæ partes turbulentiſsimis belli cladibus concuſſas, & ad interitum procumbentes excepit, & ſaluas atque integras reddidit.

OPTIMO PRINCIPI

HENRICO IV. FRANCORVM ET NAVARRORVM REGI.

In cuius tutela & fide poſita erat Reipublicæ ſalus, qui boni publici nauem ex mediis ſeditionum fluctibus exceptam, in portu ſaluam atque integram collocauit.

DEVICTORI OMNIVM GENTIVM, ET DEBELLATORI HOSTIVM ACERRIMO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Quoniam fiduciam ſuarum rerum ſemper habuit, perterritos animo confirmauit, temporis opportunitate vſus eſt,

eſt, exercitus ſæpius ex præliis ferè omnibus incolumibus, & ex numero aduerſariorum pluribus interfectis reduxit, multos ad deditionem coëgit, omnia prudentiſsimo conſilio fecit, nec vnquam ſua pertinacia ſuorum fortunas perturbari voluit.

HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX.

Hrebus geſtis Magnus cognominatus, acutus, vigilans, paratus, curam & cogitationem digniſsimam ſuæ virtutis ſuſcepit, animo magno & forti omnia egit, cum ſuis armatorum copiis Reipublicæ, & communi ſaluti profuit, hoſtium & inimicorum exercitus pulſauit & ſuperauit, omnia celeriter, fœlicitérque confecit, & pro tantis laboribus fructus victoriarum percepit.

BONI PVBLICI ASSERTORI HENRICO MAGNO FRANCORVM REGI.

Qui cùm viſa eſt facultas bene rei gerendæ, nihil adeò arduum exiſtimauit, quod virtute conſequi non poſſet, ſummam Reipublicæ rationem habuit, & labore, celeritate, patientia, & prudentia plurima bella confecit, ſaluos & incolumes exercitus traduxit.

MEMORIÆ ÆVITERNÆ IN ÆTERNVM COLENDÆ

SVMMI VIRTVTVM PRINCIPIS HENRICI IV. FRANCORVM REGIS AVGVSTI.

Quòd æſtuante factionibus & tumultibus Gallia, ad-

mirabili celeritate bellum ſuſcepit, & perfecit, victis hoſtibus, Gallis qui defecerant, exceptis, & in ſuam poteſtatem redactis.

HENRICVS MAGNVS GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, PIVS, FELIX, INCLYTVS, VICTOR MAXIMVS, ET TRIVMPHATOR SEMPER AVGVSTVS, A DEO DATVS POST DEVICTOS HOSTES, ET PACEM RESTITVTAM ÆDIFICIA SVMMI NOMINIS IN DIVERSIS PARTIBVS CONSTRVI, ET MEMORIÆ ÆTERNÆ DEDICARI IVSSIT.

CLEMENTISSIMO PRINCIPI

HENRICO IV. FRANCORVM REGI.

Quòd omnes laborantis Reipublicæ partes in ſua curatione, tutela, atque fide poſuit, omnes animi ſenſus, atque curam ad ſubditorum gloriam atque ſalutem, ad honeſtatem publicam, vtilitatéſque communes conuertit, Religionem veram coluit, Eccleſiæ Chriſtianæ dignitatem conſeruauit.

HENRICVS IV. GALLIA-RVM ET NAVARRÆ REX, pace Regno reſtituta, diuinum iuſtitiæ caput, & præcipuum Reipublicæ bene ac ſanctè gerendæ fundamentum amplexus eſt, Dei voluntatem, obſeruantiam atque venerationem dilexit, exemplo, atque inſtituto ſubditos ad veram Religionem amplectendam excitauit, ſumma in Rempublicam deuotione iuſtitiam coluit, æqualitatem conſeruauit,

uauit, iniuſtitiam maximum regendarum ciuitatum exitium abdicauit, populos in florentiſsima pace retinuit.

SANCTISSIMO PRINCIPI

HENRICO MAGNO HVIVS NOMINIS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Quoniam in Republica integrè & ſanctè verſatus eſt, nihil iracundè, nihil impotenter, aut cupidè egit, ſed cuncta æqualitate iuris, atque temperantia definiuit, leges bonas obſeruari iuſsit, ciuium fortunas conſilio gubernauit, modeſtia temperauit, virtute conſeruauit.

CLEMENTIÆ

AVGVSTI GALLIARVM IMPERATORIS HENRICI IV.

Quòd moderatè ſe geſsit & quos coërcere poterat, eos charitate & animi benignitate ſibi vel conciliauit, vel in honeſta officiorum religione retinuit, & concitatos & libidinoſos furores ad arma, atque rixam prolapſos ſedauit.

INVICTISSIMO PRINCIPI

HENRICO IV. GALLORVM ET NAVARRORVM REGI.

Cuius inter omnes nationes virtutis opinio fuit ſingularis: qui ſæpius præliando penè circumuentos hoſtes tenuit, diſsipatos deſperatis ſuis rebus fugere coëgit, pulſos & ſuperatos penè ad internecionem redegit, turpitudinem fugæ

delere volentes profligauit, miſeros ac ſupplices miſericordia conſeruauit.

IVSTISSIMO PRINCIPI

FRANCORVM IMPERATORI HENRICO IV. PERPETVA MEMORIA DIGNISSIMO.

Quoniam in ipſa maiore viuendi libidine atque licentia, & morum deprauatione, Reipublicæ clauum adeptus eſt, & totam vim ingenij, atque operam in amplectenda præſtantiſsimarum rerum gloria, in retinenda dignitate publica, & in colenda iuſtitia poſuit, & omnibus quos in tutelam ac fidem ſuam recepit, bene viuendi, & rectè agendi exemplo fuit.

MAGNANIMVS ET SANCTVS PRINCEPS FRANCORVM ET NAVARRÆ REX HENRICVS IV. omnes ſuas actiones ad veri Dei maieſtatem, ad ſubditorum ſalutem, & ad Reipublicæ ſplendorem retulit, vbique conſtantiam & grauitatem adhibuit; quod regno vtile atque ſalutare fuit, & ipſe fecit, & fieri iuſsit.

AMPLITVDINI MAIESTATIS

HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Quòd nihil ſeuerè, intemperanter, auarè, ambitiosè & cupidè mandauit, conſtituit & egit: ſed omnia iuſtè, ſplendidè, grauiter, atque honeſtè & fecit, & fieri præcepit.

VICTOR

VICTOR ET TRIVMPHATOR SEMPER OPTIMVS HENRICVS IV. COGNOMINE MAGNVS, GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, Republica ab audacibus sceleratísque ciuibus oppressa, bonis aut interfectis, aut exilio mulctatis, patria ciuitatéque carentibus, animi magnitudine elatus Regnum discerptum, dilaniatum, & funditus deletum in libertatem vendicauit, vrbes plurimas mirabili celeritate armis recepit, & de hostibus fœliciter triumphauit.

HENRICVS IV. GALLIARVM REX PERFECTISSIMVS Regnum bellorum ciuilium iniuria oppressum obtinuit, & restaurauit, iustissimarum legum auctor & obseruator cum fœlicitate Imperij regnauit. Duces restaurãdi Imperij fuêre clementia, & animi magnitudo Deo auspice.

PRINCIPI NON COMPARABILI GENERIS REGII EMINENTISSIMI HENRICO IV. FRANCORVM REGI.

Ad quem Tyrannide deuicta summa Imperij Gallici peruenit.

Quòd sub eius Imperio Gallia quæ conciderat, resurrexit, creuit, & excellentissimè floruit.

EXCELSISSIMVS PRINCEPS HENRICVS IV. FRANCORVM REX in tantum laudandus, quantum intelligi virtus potest; hostes extraneos ingentibus prælijs fusos

fugatósque castris exuit, deletísque eorum copiis, omni spe destitutos è Gallia profugere coëgit, Gallis qui defecerant, clementia magis quàm vi, vt se suæ ditioni committerent, persuasit.

HENRICO IV. FRANCORVM ET NAVARRORVM REGI ALTISSIMO, EMINENTIS ET ADMIRABILIS FORTVNÆ PRINCIPI.

Qui priores Reges magnitudine & operibus excesit, omnium anteactorum comparationem amplitudine vicit, & hostium Regiam cogitationem firma disiecit constantia.

GLORIOSISSIMO ATQVE INCLYTO D. N. HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI, VICTORI ET TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO, BONO REIPVBLICÆ NATO, LIBERTATIS RESTITVTORI, ET CONSERVATORI, GALLICI NOMINIS PROPAGATORI, DOMITORI GENTIVM.

Quòd Regni hostes subegit, ex his triumphauit, inimicos fastuosos & feroces domuit, & compluribus victoriis subsequendo coërcuit.

PIO, FELICI, INVICTO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI AVGVSTO.

Qui ætatis suæ cautissimus, prudentissimúsque, & rei militaris peritissimus Princeps habitus est.

RESTI

RESTITVTORI INVICTISSIMO ET VICTORIOSISSIMO HENRICO IV. COGNOMENTO MAGNO, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI, OPTIMO MAXIMO PRINCIPI.

Ob illustria eius merita, & amorem erga subditos.

ILLE, ILLE HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX Orbis Imperio & administratione dignus, cui tam grande cognomen fata decreuerunt, hostes qui Galliæ visceribus inhærebant, summouere potuit, eos oppidis & regionibus excusit, & ad extremos metus compulsos profligauit, domuit & debellauit.

HOSTIBVS IN GALLIA SVMMA IMIS MISCENTIBVS, REPVBLICA IN PRÆRVPTVM ATQVE ANCEPS PERICVLVM ADDVCTA, OMNIBVS STATVM COMMISCENTIBVS, GALLORVM ET NAVARRORVM REX à multis deuictis Gentibus Magni nomine honoratus, pro bono publico à Deo datus, præclara victoria hostes superauit, & innumerabilia suæ virtutis monumenta fecit.

SEMPITERNITATI

VICTORIÆ INCOMPARABILIS HENCI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS, OMNIVM SÆCVLORVM EMINENTISSIMI.

Qui remoto inimicarum gentium metu, deuictísque Imperij æmulis, Regnum Gallicum multorum annorum spacio diuisum, in optimum statum reduxit.

VITÆ

VITÆ NVMQVAM MORITVRÆ

GESTORVM DIVINI SPIRITVS PRINCIPIS HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

Qui Magni cognomen virtute partum acquisiuit.

PRÆFVLGENTI POTENTIÆ

HENRICI IV. FRANCORVM IMPERATORIS.

Ob deuictas gentes, & superbos superatos & debellatos.

Et quòd pace restituta populos à vitiis ad veterem disciplinam, à somno ad vigilias, à voluptatibus ad arma, ab otio ad negotia conuertit.

FORTVNÆ VIRTVTIQVE EXPERTÆ

HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRORVM REGIS GENEROSISSIMI, INVICTISSIMI.

Qui vires hostium post multas acceptas clades deleuit, & ingentibus victoriis, clarissimóque vrbium excidio nomen suum perpetuæ commendauit memoriæ, & Gallias à metu, à gentium inimicarum contumeliis vindicauit.

MAGNO, AVGVSTO, PRINCIPI OPTIMO, FORTISSIMO, PROVIDENTISSIMO, RESTITVTORI ORBIS, INVICTISSIMO ET VICTORIOSISSIMO HERCVLI, CONSERVATORI, DEVICTORI OMNIVM GENTIVM, PIISSIMO, FELICISSIMO, INDVLGENTISSIMO HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI.

Quòd eius ductu, auspiciis, armis, manu, prouidentia, clemen

clementia & indulgentia hoſtes victi & ſubacti ſunt, & Galli qui defecerant, ſub Imperium Gallici Regni redacti.

PIETATI ET CLEMENTIÆ

DIVI AVGVSTI HENRICI IV. GALLORVM ET NAVARRORVM REGIS DE OMNI HOMINVM GENERE MERITISSIMI.

Ob illuſtria eius merita, & ſingularia erga Gallias beneficia, & amorem iuxta ſubditos.

VICTORIIS

HENRICI MAGNI GALLIARVM IMPERATORIS, à quo vinci neminem puduit.

FORTISSIMVS PRINCEPS HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, reſtitutor & conſeruator Regni, recuperator & cuſtos libertatis, Gallici nominis auctor & propagator, domitor gentium, Rempublicam turbatam ſeditionibus ab iis qui primas partes occupauerant, vindicauit, hoſtes ſubegit, ex his triumphauit, feroces populos compluribus victoriis coërcuit, & Imperium priſtinæ dignitati reſtituit.

Fœliciſsimo numini maieſtatíque eius omnes Prouinciæ ſemper dicatiſsimæ PP.

PIVS ATQVE INCLYTVS, FORTISSIMVS, INVICTISSIMVS ET VICTORIOSISSIMVS REX HENRICVS IV. GALLORVM ET NAVARRORVM REX, Gallis profligatis subuenit, sub Imperium Gallici Regni Prouincias dissipatas & occupatas reduxit, sui sæculi cautissimus, & rei militaris peritissimus, subditos qui defecerant, domuit, hostes extraneos deleuit, victor templum Iani clausit.

Æternum sui nominis monumentum vniuersi Ordines Regi dignissimo conlocauerunt.

HENRICO MAXIMO GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI, REIPVBLICÆ MINISTRO INTEGERRIMO, PIENTISSIMO, SAPIENTISSIMO, TEMPERANTISSIMO, PATRI PATRIÆ, VIRTVTIS OBSERVATORI, PRINCIPI OPTIMO ET EMICANTI, DVCI INVICTISSIMO, REGNI INFIRMITATVM CVRATORI, DISSIDIORVM EXPVGNATORI, EXPOLIATORIQVE FORTISSIMO, VICTORI POTENTISSIMO, VINDICI EFFICIENTISSIMO, BENIGNISSIMO, PROSPECTORI, LIBERATORI, SALVTARI DITISSIMO, LIBERALISSIMO, PACIS AVTHORI EFFICACISSIMO.

AD

TABVLÆ
FVNERALES
HENRCI IV.
COGNOMENTO MAGNI
GALLIARVM ET NAVARRÆ
REGIS.
AVTHORE
PETRO CORNVTO
IN SVPREMA CVRIA
DELPHINATVS
REGIO
SENATORE.

AD
ILLVSTRISSIMAM, POTENTISSIMAM
ET CHRISTIANISSIMAM
MARIAM MEDICEAM REGINAM, LVDOVICI XIII. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS MATREM.

TABVLAS Funerales non funerales HENRICI IV. Galliarum Imperatoris, coniugis tui chariſſimi tibi offero (Regina Potentiſſima.) Princeps ille Inuictiſſimus obiit & ereptus eſt, ſed factorum ſuorum memorabilium recordatio eum potiùs viuum quàm mortuum oſtendit. Virtus immortalis eſt, & qui eam co-

lunt & exercent, immortales efficiuntur. Ea penè ad ſuperos prouectus omnes Principes ſuperauit, humanarum rerum arbiter vixit, coronatus lauro, trophæíſque redimitus, veluti temporum & ſapientiæ victor mortalitatem depoſuit, & ad cœlos, vnde ortus erat, remeauit. Famæ eius magnitudo ad poſteritatem tranſmiſſa, innumeris præconiis à nepotibus laudabitur & extolletur, & poſt omnium ſeculorum interitum æternitate vigebit. Iam laudes ipſius ad ſucceſſores defero, & tuæ gloriæ voueo. Tuum erit (Regina Illuſtriſſima & Sapientiſſima) hoc opus benignè excipere, æqui boníque conſulere, Regem filium tuum chariſſimum conſilio iuuare, & Regiam propaginẽ à Rege defuncto tibi relictam ita educare, vt quemadmodum fama, decus, & ſplendor patris eam illuſtrant, videatur pater adhuc in ea viuere.

TABVLÆ

TABVLÆ FVNERALES
HENRICI IV. COGNOMENTO
MAGNI, GALLIARVM ET
NAVARRÆ REGIS.

D. O. M.

VIATOR, REX, PRINCEPS, MILES, PEREGRINE, ET TV QVICVMQVE ES QVI HVC ACCEDIS, LVMINA ADVORTE, LEGE, PERSPICE, VITÆ MEÆ SERIEM ET FORTVNAM DISCE.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS NEPOS, DIVI LVDOVICI FILIVS AD PYRENÆOS MONTES NATVS, AB HENRICO AVO MATERNO ASTVRVM REGE IN PVERITIA EDVCATVS, SEPTIMVM ANNVM AGENS AVLÆ REGIÆ GALLICI REGNI ADMOTVS SVM, VT CVM AGNATIS REGIIS ADOLESCEREM, QVIBVS MEO ORDINE SVCCESSVRVS ERAM. ADOLESCENS FACTVS INFELICIVM PARTIVM DVX EFFECTVS, EAS PROPRIA VIRTVTE ET FORTITVDINE REFECI ET EREXI; EXERCITVS IN ME RVENTES EXPVGNAVI, HOSTES CONSTERNATOS VIDI, LAVRIS ET PALMIS REDIMITVS HENRICO III. GALLIARVM REGI OPEM

TVLI. POST EIVS MORTEM REGNVM SVSCEPI, DIVTVRNA PERTVRBATIONE ET PERICVLOSIS TVMVLTIBVS OPPRESSVM, INNVMERAS PRÆLIATIONES GESSI, STRENVE PVGNAVI, REMPVBLICAM LIBERAVI, VICTORIAS ACQVISIVI, SÆPIVS TRIVMPHAVI, QVIETEM FVNDAVI, PACEM STABILIVI, INIVRIAS CONDONAVI, ECCLESIAM CONSERVAVI, MARIÆ MEDICEÆ PRINCIPI AVGVSTÆ NVPSI, REGIAM PROPAGINEM HABVI LILIORVM ÆTERNITATEM PROMITTENTEM. TANDEM GLORIA, FAMA, ET HONORE FORTVNATISSIMVS, PARTIS TRIVMPHIS, FELICISSIMO ET FLORENTE REGNO, QVINQVAGESIMOSEPTIMO MEÆ ÆTATIS ANNO ANIMAM COELO REDDIDI. VIS SCIRE CAVSAM?

CERTE CVM AD SVMMVM LAVDIS FASTIGIVM PERVENISSEM, SVPRA FORTVNAM ERECTVS, OMNIVM TERROR, EXERCITVVM EXPVGNATOR, HOSTIVM PROFLIGATOR, ECCE INCEDENS PER VRBEM CVRRVS GESTAMINE, IMPROBI ET MALEDICTI SICARII IMPIA MANV INFAVSTE CECIDI FERRO INTEREMPTVS LVTETIÆ PARISIORVM PR. ID. MA. M. DCX. GALLIA LVGENTE, OMNIBVS VIRIS INSIGNIBVS TOTIVS ORBIS LVGENTIBVS.

O QVAM VANA EST ISTIVS MVNDI GLORIA! VALE, ET ORA.

DISCE VIATOR QVANTVM IN REBVS HVMANIS FORTVNÆ POSSIT INIVRIA; HENRICVS IV. COGNOMINE MAGNVS GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, PRINCEPS INVICTISSIMVS HIC IACET. FELICI VITA VSVS EST, REBVS GESTIS, ET HONORIBVS CLARISSIMVS, EGREGIIS EXIMIISQVE FACTIS FLORENTISSIMVS, VIRTVTEM ET HONESTATEM OTIO PRÆTVLIT;

TVLIT; EXEMPLVM OMNIBVS VITÆ SVÆ DEDIT, ET CVM AD ABSOLVTAM FELICITATEM PERVENISSET. VITA EI CRVDELITER EREPTA EST. ET NVNC GALLIA QVÆ GAVDIO EXVLTABAT, MOERORIS AC LVCTVS PLENA, AMISSVM QVERITVR PATREM.

O ACERBAM, ET NIMIS ASPERAM RERVM VICISSITVDINEM!

HENRICI IV. GALLIARVM IMPERATORIS MONVMENTVM.

VIDIT TEMPORIS CALAMITATEM, REIPVBLICÆ TEMPESTATEM, AMISSAM LIBERTATEM, GALLIAM BELLO FLAGRANTEM, IVSTITIAM DEFORMATAM, INNOCENTIVM FVGAM, OPTIMORVM EXILIVM, POPVLI LVCTVM: ET LABORE, MANV, SANGVINE REMPVBLICAM SALVAVIT, AVXIT, IVVIT, SERVAVIT, REGNOQVE SALVTEM, ET DIGNITATEM RESTITVIT.

O QVAM REGES MISERI EXTANT, ET QVAM SOLICITVDINI, TIMORI, ATQVE INSIDIIS PROPOSITI SVNT! HENRICVS IV. GALLORVM ET NAVARRÆ REX, PRINCEPS AVGVSTISSIMVS ET CLEMENTISSIMVS CRVDELISSIMA CÆDE OCCISVS EST. QVIS EST QVI SCELERIS ISTIVS RECORDATIONE NON INTIMIS SENSIBVS EXHORRESCAT?

HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS MONVMENTVM.

SISTE GRADVM VIATOR, VIDE, PERLEGE, CONSIDERA, ET HVIVS FATI SORTEM ASPICE.

QVEM FOEDERATIONES, ET COITIONES ILLICITÆ, INIMICORVM INDOMITA FERITAS, ATROCES

INSI

INSIDIÆ, FOEDISSIMÆ MOLITIONES, MOTVS EFFERATI, BELLI CIVILIS FACES, SEDITIONVM ÆSTVS, FEROCIENTES PERDVELLES, ADVERSI BELLI VICES, MARTIS INFORTVNIA, NOVEM REGIÆ ACIES POTENTISSIMÆ, TRIPLEX PVGNA, ACIE VTRINQVE CONSTRVCTA, STVPENDI QVATVOR HISPANORVM ET ITALORVM EXERCITVS, TRIGINTA QVINQVE EXERCITVVM FORTVITI OCCVRSVS, QVADRAGINTA CONFLICTVS, ET TRECENTÆ OBSIDIONES EXPVGNARE ET VINCERE NON POTVERVNT, EVM SICARII EXECRANDI PARRICIDA MANVS ABSTVLIT.

HEV QVALES FLVCTVS RERVM HVMANARVM! QVÆ FORTVNÆ VICISSITVDO!

PIISSIMVS ET FORTISSIMVS HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX EXERCITIBVS HOSTIVM DIVINITVS RESTITIT, FORTISSIME DIMICAVIT, INIMICIS REGNVM ERIPVIT, ÆQVITATE ET RELIGIONE CLARVIT.

RECTE IMPERIVM ADMINISTRAVIT, ET QVALEM SE PROMISERAT REGEM PRÆSTITIT.

HIS REBVS CONFECTIS IMMATVRA MORTE PRÆREPTVS EST, LETHALI VVLNERE ACCEPTO.

ADMIRABILIS MAGNITVDINIS HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX ADVERSVM HOSTES PROCESSIT, EXERCITVS EORVM PROFLIGAVIT ET SVPERAVIT; PLVRES IN VINCVLA COMPEGIT, ET AD DEBITA OBSEQVIA COEGIT.

PONTEM NOVVM SVPRA SEQVANAM VRBI ADDIDIT, PLVRIMA GLORIÆ SVÆ MONVMENTA ÆDIFICAVIT.

ET

ET CVM FVTVRVM VIDEBATVR VT DOMINVS OMNIVM GENTIVM EXISTERET, GRAVI VVLNERE INTERFECTVS EST.

TVMVLVS HENRICI IV. COGNOMINE MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

ACCEDE HOSPES, ACCEDE, AVRES PRÆBE, AVDI, GEMITVS SVNT, NON LOQVELÆ, PLANCTVS, NON VERBA, MOLESTIA ADEST, NON PRIVATA, SED PVBLICA; DOLOR OMNES TANGIT ET ANGIT, IMMORTALE MALVM MORTALIBVS NATVM. EVROPA LVCTV PLENA, IMO TOTA LVCTVS EST; MVNDVS IN ORBITATE VIVIT, IMO MORITVRVS, ANTE TEMPVS MORITVR, INFELICIA OMNIA ORTA SVNT.

VIN' DICAM QVID EST? LINGVA NON POTIS EST DICERE, SVSPIRIA COHIBENT LOQVENDI FACVLTATEM: COR ANXIVM LINGVAM LOQVI VETAT, LACRYMÆ IMPEDIVNT; DICAM, PAVLVLVM EXPECTA, MORAS SVSTINE, MOERENTI FAVE, IAM DICERE INCIPIO, DEPEREO, SVSPIRO TANTVM, ET VOX HÆRET FAVCIBVS.

ABLATVS, EREPTVS, SVBLATVS EST MVNDI RECTOR, PRINCEPS, REX OMNIVM PRINCIPVM, ET REGVM REX, ORBIS DOMINATOR, ET HOSTIVM TERROR HENRICVS MAGNVS, GALLORVM ET NAVARRORVM IMPERATOR NEFANDA ET PRODITORIA MORTE OCCISVS, INFIDVS, PERFIDVS, MALEDICTVS, NEQVAM EIVS VITAM SICA PRÆDATVS EST.

AH! QVI VIVVNT ADHVC, HOC TANTO DOLORE CONFOSSI MIRARI NON DESINANT TANTVM SCELVS, ET TV VIATOR MIRARE ET ORA.

HOSPES, HOSPES, O HOSPES QVID CIRCVNSPICIS? QVÆRIS FORTE ET REQVIRIS VBI SEPVLTVS EST MAGNVS ILLE HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, CVIVS ÆTERNÆ GLORIÆ FAMA VBIQVE TERRARVM SPARSA EST? HIC NON EST EIVS TVMVLVS. VIS SCIRE VBI EST? VIS VIDERE? PER TOTVM ORBEM AMBVLA, ET VIDEBIS.

ADVENA QVI HVC CELERITER TRANSIS, STA ET LOCVM HVNC MIRARE, ET VENERARE. LOCVS ISTE SACER EST: IN EO EST MONVMENTVM SACRATISSIMI, AVGVSTISSIMI, PIISSIMI, CLEMENTISSIMI, FORTISSIMI ET INVICTISSIMI HENRICI MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

QVI TOTVM MVNDVM CONTINEBAT, HIC CONTINETVR.

HOC MONVMENTVM PARVVM EST, SED MAGNAM REM ACCEPIT; TENVIS LOCVS, SED OMNIBVS LOCIS LOCVPLETIOR. IN HOC THESAVRVS OMNIBVS THESAVRIS MAIOR, OMNIBVS DIVITIIS PRETIOSIOR, ET AVGVSTO ISTO LOCO NIHIL VNQVAM FVIT AVGVSTIVS.

QVID HOC EST? SI QVÆRIS VIATOR; SCITO MIRACVLVM, CONTENTVM CONTINENTI MAIVS EST, ALTITVDINE COELVM, PONDERE TERRAM, MAGNITVDINE TOTVM ORBEM SVPERAT. CORPVS REGIVM ET AVGVSTVM HENRICI MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS, OMNIVM PRINCIPVM PRINCIPIS HOC IN SEPVLCHRO IACET.

HENRI

HENRICVS MAGNVS FRANCORVM ET NAVARRORVM REX, QVEM TIMEBANT OMNES, DIRA PRODITIONE OCCISVS, IN CHAO RERVM, IN ABDITIS ET RECESSIBVS NATVRÆ NON VAGATVR, ASTRA SVB SE HABET, SEDEM BEATAM DIV PROMISSAM OCCVPAT, NECTAR COELESTE EBIBIT, ET HVNC COELVM IN SINV FOVET.

AVGVSTI CORDIS HENRICI IV.
GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS
MONVMENTVM FLEXIÆ EXISTENS.

MIRARIS VIATOR? MIRANTVR ET ALII, ET QVIS EST SPECTATOR QVI NON MIRETVR? HIC ADEST MIRACVLVM ADMIRATIONE DIGNVM. VIDESNE PYRAMIDEM? PARVA QVIDEM EST, LAPIS EST, SED MEMPHIS PYRAMIDES, ET MAVSOLI SEPVLCHRVM EXCELLENTIA SVPERAT, DEPOSITVM CONTINET QVO MAIVS ESSE NON POTEST: IN APICE COR IACET. QVÆRIS QVALE COR? AVGVSTVM, REGIVM, IMMENSVM, IN QVO TOTVS ORBIS ADERAT, IN QVO OMNIA STABANT IMPERIA, COR CORDATISSIMVM ET GENEROSISSIMVM A VECORDE OCCISVM. VIS SCIRE CVIVS?

COR HENRICI MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS, HOSTIVM DEBELLATORIS, ET PROFLIGATORIS OMNIVM REGVM, IMPERATORIS INVICTISSIMI.

AH! LACRYMIS VIATOR HVNC LOCVM IRRIGA, LVGE, ET EREPTVM NOBIS TALEM PRINCIPEM PLANGE. ADSINT PERPETVO MOESTITIA, LVCTVS, ORBITAS, ET MORITVRI MORTALES DAMNVM SEMPER DOLEANT, QVOD DEDIT MORS INVIDA, NEFANDA, PRODITORIA, ACERBA.

MEMORIÆ ÆTERNABILI

PRVDENTIÆ INCOMPARABILIS PRINCIPIS HENRICI MAGNI FRANCORVM REGIS OMNIBVS MODIS ABSOLVTI.

QVI TEMERE FORTVNÆ NON CONFIDEBAT IN MAXIMAM MAGNITVDINEM EVECTVS, CVI PROPRIVM ERAT SEIPSVM COHIBERE, PROSPERITATIS BLANDIMENTA LENITER SVSCIPERE, FASTV NON INTVMESCERE, NEQVE VLTRA HVMANÆ SORTIS MENSVRAM EFFERRI.

PROVINCIIS MVLTO VARIOQVE MARTE SVBACTIS, BELLIS CIVILIBVS SOPITIS, EXTERNIS SEPVLTIS, SEDATO VBIQVE ARMORVM FVRORE, PACATO VICTORIIS TERRARVM ORBE, PACE REVOCATA, SACRIS HONORE REDDITO, SECVRITATE HOMINIBVS DATA, CVLTV AGRIS RESTITVTO, IMPERIO MAGISTRATVVM AD PRISTINVM MODVM REDACTO, LEGIBVS VTILITER EMENDATIS, ET SALVBRITER LATIS, HENRICVS MAGNVS GALLORVM ET NAVARRORVM REX TRIVMPHIS AMPLISSIMIS FVNCTVS, DVM RELIQVVM SVI ÆVI SPATIVM IN OPVS PACIS TVENDÆ ET CONSERVANDÆ IMPENDERE CONABATVR, FATIS OMNEM CVRAM VINCENTIBVS, VITA EI GLADIO ABLATA EST, ET IN SVA RESOLVTVS INITIA, ANIMVM COELESTEM COELO REDDIDIT.

VICTORIA CLEMENTISSIMVS HENRICVS MAGNVS GALLORVM IMPERATOR SPIRITVM REDDIDIT DEO.

VLTIMAM BELLIS CIVILIBVS MANVM IMPOSVIT, REGNVM PRISCA GRAVITATE ADIIT, ET INCOLVME SERVAVIT, IMMANE NOVI AC RESVRRECTVRI BELLI CIVILIS INITIVM RESTINXIT, ET MALE CONSVLTORVM POENAS EXSOLVIT.

FRACTIS

FRACTIS ET DEVICTIS HOSTIBVS, REGNO FLORENTE, AVTHORITATE, GRATIA, COPIIS, OPIBVS, ET AMPLISSIMIS FORTVNIS AFFLVENTE HENRICVS IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REX, INGENIO, IVDICIO, CONSILIO, ET PRVDENTIA POTENS, NIHIL NISI SVBLIME AC BEATVM COGITANS ET OPTANS, E VIVIS EREPTVS EST; FLORENTISSMA EIVS GLORIA IN ÆTERNVM VIVENTE.

FVNDATORI QVIETIS HENRICO MAGNO, GALLORVM REGI.
QVI DEFENSIS ARIS ET FOCIS, EXERCITIBVS HOSTIVM CONSTERNATIS, PRODITORIBVS REIPVBLICÆ CERVICIBVS DEPVLSIS, PARTA CIVIVM SALVTE, REGNVM A BELLORVM IMPETV SECVRVM, A CASTRORVM PVLVERE REMOTVM, ET NVLLA INCVRSIONE VEXATVM, TVTVM ET PACATVM RELIQVIT.

HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI BELLI ET PACIS LAVDIBVS ILLVSTRISSIMO.
QVI REGNVM GALLICVM SEDITIONIBVS PERPVRGAVIT, HOSTES DEBELLAVIT, PACEM AVITAM RESTITVIT.
GALLI TANTÆ MVNIFICENTIÆ MEMORATISSIMI HVIVS PRINCIPIS IMMATVRAM MORTEM EX INTERIORI CORDIS SVSPIRANTES ET LACRYMANTES POSVERVNT.

PIISSIMVS, FELICISSIMVSQVE PRINCEPS HENRICVS IV. FRANCORVM ET NAVARRORVM REX DISCORDIAS BELLI CIVILIS SEDAVIT, PACEM COMPOSVIT ET FOVIT, TANDEM AB HAC VITA MOMENTANEA IN MELIOREM PATRIAM IPSO VOCANTE DEO COMMIGRAVIT; NVNC PAR EST EVM PRO MERITIS INTER DEOS TVTELARES REFERRE, ILLI SACRAS ÆDES STRVERE, PIA VOTA REDDERE, ET HVNC VENERATIONE MEMORIAQVE PERPETVA COLERE, VENERARI, OBSERVARE.

MEMORIÆ ÆTERNÆ MAXIMI ET INVICTISSIMI, GLORIOSISSIMIQVE ET TRIVMPHANTIS HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS.

QVOD AVSPICANTE COELI NVMINE, ANIMI MAGNITVDINE ET FORTITVDINE, CVM SVIS ARMATORVM COPIIS TAM DE EXTERIS NATIONIBVS, QVAM DE OMNIBVS EARVM FACTIONIBVS REGNVM ET REMPVBLICAM VLTVS EST.

GALLI HVIVS BENEFICII MEMORES HOC MEMORABILE MONVMENTVM D D. MORTEM ET OBITVM TANTI PRINCIPIS ÆGRE FERENTES.

DESINE MIRARI VIATOR, QVOD PRINCEPS GLORIA FLORENTISSIMVS IN EAM FORTVNAM DELAPSVS SIT, VT CITO VITAM AMISERIT; STAT SVA CVIQVE DIES; PRÆFINITVS A DEO VITÆ TERMINVS. IN COELVM EX ISTIS LOCIS MORTE MIGRAVIT, ET EIVS ANIMVS AD FVTVRAM VITAM, TANQVAM AD PATRIAM EVOLAVIT.

PIETATI ET VOTO SINGVLARI HENRICI IV. COGNOMENTO MAGNI, GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS CHRISTIANISSIMI.

QVI DEO DVCE IN THRONO PATRVM SEDENS, VERITATE AGNITA ET COGNITA ECCLESIÆ NVMQVAM ERRANTI SE SVBMISIT, ET FIDEM CATHOLICAM PVBLICE PROFESSVS EST.

CHRISTIANI DE SALVTE TAM AVGVSTI PRINCIPIS CERTISSIMI D D.

IMMORTALI MEMORIÆ HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ IMPERATORIS.

OB

OB VICTORIAS SÆPE ET FELICITER PARTAS ANIMI MAGNITVDINE, FORTITVDINE, PROVIDENTIA, CELERITATE, ET ARMORVM VI.

SVBDITI LVGENTES P P.

PIO, FELICI, ET SEMPER AVGVSTO PRINCIPI HENRICO IV. FRANCORVM REGI OPTIMO.

QVI AD MONTES PYRENÆOS NATVS, IN LOCIS SAXOSIS EDVCATVS, INFANTIAM LABORIBVS SE EXERCENDO, ADOLESCENTIAM, PVGNANDO ET VINCENDO, VIRILEM ÆTATEM HOSTES EXPVGNANDO, ET TRIVMPHANDO TRANSEGIT.

FELICI CLEMENTIÆ HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS INDVLGENTISSIMI.

QVI BELLORVM CIVILIVM TEMPESTATIBVS SEDATIS, LEGE AMNISTIÆ OMNIVM FACTIONVM ET SCELERVM MEMORIAM EXTINXIT ET ABOLEVIT, SECVRA ET INNOXIA FIDE DATA.

VNIVERSA GALLIA PONI CVRAVIT.

D. O. M.

ET RECORDATIONI SEMPITERNÆ HENRICI IV. FRANCORVM REGIS PIISSIMI.

REGNVM AFFECTANTES TERRVIT, FREGIT ET SVPERAVIT, SEDITIONES COMPRESSIT, ARCES QVÆ DEFECERANT SOLO ÆQVAVIT, SVBDITOS FIDELES LIBERAVIT, ET SERVAVIT, TRIVMPHANS VRBEM INTROIVIT, IMPETV SÆPIVS IN HOSTES FACTO VICTORIAM SVIS RELIQVIT, OMNIA PERPACAVIT, DIE INTER NEFASTOS RELATO, GLADIO PERCVSSVS OBIIT.

HENRI

HENRICVS IV. COGNOMENTO MAXIMVS, GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, GALLICVS, NAVARRICVS, ALLOBROGICVS; BVRGVNDICVS, AQVITANICVS, PROVINCIALIS, BRITANNICVS VICTOR ET TRIVMPHATOR OPTIMVS.

OB VICTORIAS GLORIOSISSIME PARTAS OMNIBVS INSIGNIBVS CORONIS MERITO REDIMITVS EST, LAVREA GALLICA POPVLEA, QVERNEA, OLEAGINEA, PALMEA, MYRTEA, ET COELESTI QVÆ DERAT CORONA, POST OBITVM SVPERIS OMNIBVS APPLAVDENTIBVS DECORATVS EST.

HIC IACET HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, MAGNITVDINIS, VIRTVTIS, ET PIETATIS EXEMPLVM. ADVERSVM HOSTES PROVOCATORES PROCESSIT, GALLOS QVI DEFECERANT IN DEFECTIONE PERSEVERANTES MORTE AVT EXILIO PVNIVIT, POENITENTIA DVCTOS IN DEDITIONEM RECEPIT, EXTEROS GALLIA EXPVLIT, OMNIBVS TERRITIS, ET HOSTIBVS DEVICTIS TRIVMPHAVIT, REGNVM SVBDITIS ET SVBDITOS REGNO REDDIDIT.

LEGE VIATOR GESTA HENRICI IV. FRANCORVM REGIS MERITISSIMI.

AD REGNVM AB HOSTIBVS OBSESSVM FESTINAVIT, VRBES EXPVGNAVIT, OPPIDA PLVRA CEPIT, PROVINCIAS OCCVPATAS SVBEGIT, PRÆSIDIVM HOSTIVM DEPVLIT, EXTERIS FVSIS TRIVMPHAVIT, PACEM PETENTIBVS DEDIT, FINEM BELLO IMPOSVIT.

GLADIO CONFOSSVS PROSTRATVS EST, CORPVS AD TEMPLVM DIVI DIONYSII DELATVM, MAGNIFICE SEPVLTVM.

DIVÆ

DIVÆ MEMORIÆ

TRIVMPHANTISSIMI PRINCIPIS HENRICI IV. COGNOMINE MAGNI, FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

HOSTES REGNI FREQVENTIBVS PRÆLIIS VICIT, BELLO FVDIT, SIGNIS SPOLIAVIT, CASTRIS EXVIT, PLVRES ACCEPIT, ET PECVNIA MVLTATOS RESTITVIT, HOSTIVM PRÆSIDIA DELEVIT, GLORIOSE TRIVMPHAVIT, EIVS VICTORIAS MAGNIFICAS INSIGNI LAVDE GALLIA CELEBRAVIT.

HENRICVS IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REX, MAGNVS A MAGNIS REBVS GESTIS COGNOMINATVS, OMNIA PROPRIO ET SVBITO CONSILIO EGIT, VIGILIIS ET LABORE NVMQVAM DEFESSVS EXERCITVS GALLIAS OPPRIMENTES PROFLIGAVIT ET FVDIT, GALLOS SEDITIONIBVS LOCO PVLSOS HONORIBVS ET DIGNITATIBVS RESTITVIT.

DE HOSTIBVS VICTIS ET FVSIS TRIVMPHAVIT, VICTOR ET TRIVMPHANS A DETESTANDÆ MEMORIÆ GALLO PERCVSSORE CORRVIT.

PRECES AD DEVM PRO ILLO PER TOTAS ORBIS CHRISTIANI PARTES EFFVSÆ SVNT.

D. O. M.

ET MEMORIÆ SEMPITERNÆ INTEGERRIMÆ MENTIS PRINCIPIS HENRICI IV. FRANCORVM REGIS.

QVI ADVERSARIORVM EXERCITIBVS VICTIS, HOSTIBVS GALLIA EXPVLSIS, SEDITIONIBVS PACATIS, NEQVID DETRIMENTI REGNVM CAPERET BONAM OPERAM NAVAVIT, DEDITIONE RECEPTIS FIDEM SERVAVIT, OMNES DIFFICVLTATES MAGNA FELICITATE SVPERAVIT, ET IVSTISSIME REGNAVIT.

HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, HOSTIBVS MAGNA VI ANIMI ET CORPORIS SVPERATIS, FERRO ET FAME AFFLICTIS, REGIONIBVS MAGNO SVI TERRORE PENETRATIS, MIRA FELICITATE SVBACTIS, PLVRIBVS IN DEDITIONEM RECEPTIS, TRIVMPHIS EXACTIS, SEDITIONVM TEMPESTATIBVS SEDATIS, PACE RESTITVTA, A GALLO DETESTANDÆ MEMORIÆ OCCISVS EST.

HENRICVS IV. FRANCORVM REX INVICTISSIMVS, COGNOMINE MAGNVS, PER MEDIAS ACIES INCOLVMIS EVASIT, ET PER MEDIAM PACIS TRANQVILLITATEM INTERFECTVS EST.
HVIVS LATVS A GALLO NEFANDO ET MALEDICTO CVLTRO CONFOSSVM EST.

MAGNO ET INVICTO PRINCIPI HENRICO IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI GALLI DVCES ET MILITES DEVOTI NVMINI MAIESTATIQVE EIVS PP.
VIXIT ANNOS QVINOS DENOS ET SEPTEM.

DEO OPTIMO MAXIMO, CVSTODI, SALVATORI

PRO SALVTE HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS PIENTISSIMI;
VNIVERSI TOTIVS REGNI ORDINES DD.

HENRICVS IV. COGNOMENTO MAGNVS, GALLIARVM ET NAVARRÆ REX OPTIM. MAXIM. ET SEMPER AVGVSTVS, ORBE, MARI, ET TERRA PACATO, TEMPLO IANI CLAVSO, OPTIMIS ET SANCTISSIMIS SANCTIONIBVS REMPVBLICAM REFOR

REFORMAVIT, ET INSTITVTIS MAIORIBVS REFORMARE CVPIEBAT, SI DIV VIVERE LICVISSET.

PARRICIDA IMPIVS EI FERRO VITAM ABSTVLIT, ET MOERORE OMNES REGNI INCOLAS AFFECIT LVTETIÆ PARISIORVM PR. ID. MA. ANNO M. DCX.

AVGVSTO, PIO ET FELICI VOTO HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS PIISSIMI.
QVI PACATO REGNO ET DISCORDIIS CVM EXTERIS NATIONIBVS EXPEDITIS ET SOPITIS, EDICTVM COERCENDARVM LITIVM PROMISERAT.

MIRARIS VIATOR QVOD HENRICVM IV. GALLIARVM REGEM INVICTISSIMVM EVROPA AMISERIT?

DESINE MIRARI; LICET COELITVS BENEFICIO SINGVLARI AD REGENDVM HOMINVM GENVS MISSVS ESSET, COMMVNI TAMEN HVMANITATIS SORTI ET CONDITIONI OBNOXIVS ERAT.
MORTIS LEX OMNIBVS ÆQVA.

MONVMENTVM HENRICI IV. MAGNI, FRANCIÆ ET NAVARRÆ REGIS.

QVI MVLTIS ET INFINITIS REBVS BELLO AC PACE PRÆCLARE GESTIS CLARVIT, ET OMNIVM PRINCIPVM CLARISSIMVS, DEPOSITIS CORPORIS EXVVIIS AD COELOS REGNATVRVS CONVOLAVIT.

ÆTERNVS PRINCEPS D. N. HENRICVS IV. COGNOMENTO MAGNVS, GALLIARVM ET NAVARRÆ REX VBIQVE VENERANDVS, SEMPER AVGVSTVS, BONO REIPVBLICÆ NATVS, PATER PATRIÆ BELLVM CVM INIMICIS REGNI GESSIT, PLVRES

EXERCITVS DELEVIT, REMPVBLICAM TVRBATAM SEDITIONIBVS AB HIS QVI MVLTAS GALLIARVM PARTES OCCVPAVERANT, VINDICAVIT, HISPANOS ET ALIOS EXTEROS PROFLIGAVIT ET FVGAVIT; EX HIS TRIVMPHAVIT, ET SÆPIVS ACTIS TRIVMPHIS, PACE STABILITA OBIIT MAXIMO OMNIVM CHRISTIANORVM MALO.

CINERIBVS

HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS, PARENTIS OPTIMI ET CONSERVATORIS.

QVONIAM CONIVRATIONIBVS OPPRESSIS, ET DEBELLATIS HOSTIBVS REMPVBLICAM SALVAVIT.

D.

MAGNO ET INSVPERABILI PRINGIPI, REIPVBLICÆ CONSERVATORI HENRICO IV. FRANCORVM REGI.

QVONIAM IN PACE ET OTIO OMNES ORDINES IN HONESTA OFFICIORVM FIDE AC RELIGIONE, ET CVNCTOS POPVLOS IN AMICA CONCILIATIONE RETINVIT.

OPTIMVS MAXIMVS PRINCEPS HENRICVS IV. GALLIARVM IMPERATOR, PACI PVBLICÆ STVDVIT, PROVINCIAS OMNES TRANQVILLAS ATQVE PACATAS CONSERVAVIT, SEDITIOSOS, QVI DEPOSITA PACE SEDITIONEM TEMERE MOVEBANT, SEVERISSIME PVNIVIT.

MEMORIÆ SEMPITERNÆ

FIDEI, TVTELÆ, ATQVE CVSTODIÆ PERFECTISSIMI PRINCIPIS HENRICI IV. GALLIARVM IMPERATORIS.

QVI

QVI STEMMATIS PRÆCELLENTIA, FELICITATE, OPIBVS, MILITVM VIRTVTE, ATQVE COPIIS, RERVM GESTARVM LAVDE, GLORIA, ET TRIVMPHIS OMNES PRINCIPES SVPERAVIT, OMNIA QVÆ AD REIPVBLICÆ SALVTEM ET INCOLVMITATEM SPECTANT, AMPLEXVS EST; CVNCTA PRO DIGNITATE REIPVBLICÆ, ANIMI PRVDENTIA, CONSILII MAGNITVDINE, MORVM FACILITATE, NATVRÆ BONITATE, AC CIVIVM AMORE EXPLICAVIT, ET IMPERII TRANQVILLITATEM, ATQVE DIVTVRNITATEM NON IN ARMIS, ATQVE PRÆSIDIIS, SED IN SVBDITORVM BENEVOLENTIA COLLOCAVIT.

ANIMÆ SANCTÆ
COLENDÆ

HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS PIISSIMI. HVIC CVM MAIORES VITÆ INSIDIÆ IN MAGNA AC DEPRAVATISSIMA MORVM LICENTIA PARABANTVR, OMNIA CLEMENTIA ET AFFECTVVM MODERATIONE LENIBAT, ET SVBDITOS AMORE MAGIS VIRTVTIS QVAM ODIO, AC METV POENÆ RETINEBAT, PRONIOR AD PIETATEM, MISERICORDIAM, ET ADMISSI SCELERIS ABOLITIONEM QVAM AD SEVERITATEM.

HENRICVS MAGNVS GALLIARVM ET NAVARRÆ REX ET IMPERATOR HIC LATET, CVIVS ÆTERNA MEMORIA LATE PER ORBEM TERRARVM PATET.

ILLE AB ANTHONIO NAVARRORVM REGE GENITVS, INFINITIS LABORIBVS ET PERICVLIS

IACTATVS, IN MAXIMA RERVM DIVERSITATE MVLTVM OPERVM PACE BELLOQVE GESSIT, TEMPORE VIRIS ARMISQVE EXERCITATISSIMO SVVM IMPERIVM VIRTVTE CVM FORTVNA CONTENDENTE CONSTITVIT, GALLIAS SVBEGIT, IPSAS ET TOTVM ORBEM PACAVIT, REGNVM GALLICVM SENECTVTE QVASI DECOCTVM REDDITA IVVENTVTE, AD ROBVSTAM MATVRITATEM PRÆTER SPEM OMNIVM, ADMIRABILI MAGNITVDINE RESTITVIT ET REDEGIT.

SVMMI PRINCIPIS HENRICI IV.
GALLORVM ET NAVARRORVM REGIS MONVMENTVM.

DIVI LVDOVICI FRANCORVM REGIS REGIA STIRPE ORTVS, IN INFANTIA AB AVO ASTVRVM REGE EDVCATVS, IN IVVENTA CVM LABORIBVS LVCTATVS EST COMITE FORTVNA, BELLI, PACIS, ET RELIGIONIS VIRTVTE FLORVIT, SAPIENTISSIMVS OPTIMVM STATVM REIPVBLICÆ IMPOSVIT, OMNIBVS RECTE ORDINATIS AB IMPIO SICARIO EREPTVS, MAGNI NOMINE CONSECRATVS EST.

HENRICI IV. GALLORVM REGIS INVICTI ET SEMPER VICTORIS CORPVS HIC IACET, CVIVS ANIMA AD SIMILITVDINEM COELESTIVM SYDERVM COLENDA EST.

QVOD ÆQVITATIS ET PRVDENTIÆ EXCELLENTIA CLARVIT, FEROCEM POPVLVM AD DEBITA OBSEQVIA REDEGIT, FREQVENTIBVS PRÆLIIS HOSTES EXTRANEOS DEMIGRARE COEGIT, REBELLES ET PERDVELLES DOMVIT.

IMPE

IMPERIVM GALLICVM VI ET INIVRIA OCCVPATVM RECVPERAVIT, RELIGIONE ATQVE IVSTITIA GVBERNAVIT, LEGIBVS INSTITVTIS, ARMIS, CONSILIO CONFIRMAVIT, ET HVIVS DIGNITATEM TRIVMPHALIBVS ORNAMENTIS ILLVSTRIOREM FECIT.

MONVMENTVM

AVGVSTISSIMI PRINCIPIS HENRICI IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGIS.

ANCEPS ET PVLCHRA CONTENTIO IN EO VIRTVTIS ET FORTVNÆ FVIT, EXITVQVE IPSO MIRABILIS.

INCLYTÆ RELIGIONIS CVLTVM STATVIT, DEVM IMMORTALEM COLVIT, POPVLOS GALLIÆ FEROCIENTES, ET HOSTES EXTRANEOS FREQVENTIBVS ARMIS SVBEGIT, MILITAREM DISCIPLINAM VERAMQVE BELLANDI ARTEM CONDIDIT, OMNIA DECORA ET INSIGNIA, QVIBVS REGIA DIGNITAS EMINET, STATVIT, IMPERII MAIESTATEM AMPLIAVIT ET AVXIT.

MIRARE VIATOR, MIRARE, NEC DESINE MIRARI.

MAGNVS ILLE HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, POSQVAM ORNAMENTA TRIVMPHALIA OB CELEBERRIMAM MILITIAM MERVIT, REGNVM IN SVMMA PACE, QVIETE, ET PIETATE RECTISSIMA CONTINVIT, CVRAM AC FIDEM PRÆSTITIT; IVSTITIAM ET ÆQVITATEM SVBDITIS REDDIDIT, MAGISTRATIBVS AVTHORITATEM, SENATVI MAIESTATEM, IVDICIIS GRAVITATEM; CIVITATIBVS INDVSTRIAM COMPRESSA SEDITIONE RESTITVIT; ET POST TANTA SVÆ VIRTVTIS EXPERIMENTA OBSESSVS GLADIO PERIIT.

ÆVITER

ÆVITERNITATI

TRIVMPHANTISSIMI PRINCIPIS HENRICI IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGIS; CVI EX VIRTVTE ET OPERIBVS MAGNI NOMEN INDITVM EST.

CVIVS DOMINATIO A DEO APPROBATA, FELICITATE IMPERII APPARVIT.

QVI PLVRIBVS, IMO INNVMERIS EXACTIS TRIVMPHIS, INFELICI MORTE INTEREMPTVS ET OCCISVS EST PR. ID. MA. MD. CX.

VIXIT ANNOS LVII. REGNAVIT ANNOS XXI.

ILLE, ILLE REX POTENTISSIMVS HENRICVS MAGNVS, GALLORVM ET NAVARRÆ REX.

CVIVS OPERA REGNVM GALLICVM SVPER TOTVM TERRARVM ORBEM CAPVT EXTVLIT, POST MVLTOS EXCISOS TERRORES, ET PLVRIMOS EXACTOS TRIVMPHOS VITAM QVAM GLORIOSISSIME DEGERE CONSVEVERAT, IMMATVRA MORTE FINIVIT.

LEGE VIATOR.

SVB HOC MONVMENTO IACET INGENS ILLE PRINCEPS, IMPERATOR HENRICVS IV. FRANCORVM ET NAVARRÆ REX, QVI PENETRATIS ET SVBACTIS OMNIBVS GALLIARVM GENTIBVS, ET INIMICIS PRÆCIPITI LOCO PVLSIS, MAGNI COGNOMEN MERVIT. ILLE CVM IN SVMMA QVIETE ANIMI VIVERET, FATALEM SEV CONFLATAM INSIDIIS MORTEM OBIIT. VITAM DIGNISSIMAM EGIT, QVÆ FVLGORE VITAS OMNIVM PRINCIPVM SVPERAVIT.

ANNO LVII. SVÆ ÆTATIS DECESSIT.

HIC

HIC IACET

HENRICVS IV. GALLIARVM ET NAVARRÆ REX, NON SECVLI SVI, SED OMNIS ÆVI OPTIMVS, BELLO ACERRIMVS, VIRTVTE EXIMIVS, FORTVNA ET ANIMO MAXIMVS, CONSILIIS DVX, EXPERIENTIA MILES, VIGORE INGENII CELEBERRIMVS, QVI FORTVNATISSIMVS PROELIIS EMINENTISSIMOS DVCES HOSTIVM FVDIT, FLVENTEM PROCVMBENTEMQVE REMPVBLICAM EXCEPIT, REGNO PRISCVM DECVS RESTITVIT, ET CVLTELLO PERCVSSVS DECESSIT.

MIRARIS FORSAN VIATOR CVR HENRICVS IV. FRANCORVM REX AVGVSTISSIMVS SPIRITVM REDDIDIT?

DESINE MIRARI, VRBES, GENTES, IMPERIA, IMO REGES, NVNC FLORENT, NVNC SENESCVNT, NVNC INTEREVNT.

EXCELSISSIME FLORVIT, ET FATIS VOLENTIBVS DIEM SVVM VLTIMVM OBIIT.

HIC EST HENRICVS MAGNVS GALLORVM ET NAVARRORVM REX.

QVI REGNVM GALLICVM BELLIS CIVILIBVS AMISSVM RECVPERAVIT, ET PRÆTER PRINCIPALE IN REGNO FASTIGIVM, SÆPIVS CORONIS TRIVMPHALIBVS DECORATVS EST.

QVI HAC TRANSIS VIATOR, ANIMÆ REGIÆ MONITA LEGE, CARPE, SERVA ET RECORDARE.

OMNIS CARO FOENVM, ET OMNIS GLORIA EIVS VT FLOS FOENI; HOMO SICVT HERBA TRANSIT, ET SIMILIS EST PVLVERI QVEM PROIICIT VENTVS, VITA SICVT VESTIGIVM NAVIS. VIGILA, ET CVSTODIAM CORDIS ADHIBE, ADVERSVS NEQVITIAS SPIRITALES CERTA; FAC ARBOREM BONAM, ET EIVS FRVCTVM BONVM: PALEAS DEVS COMBVRET IGNI INEXTINGVIBILI. DEVM ORA, VT PERFICIAT GRESSVS TVOS IN SEMITIS SVIS, NE TABESCERE FACIAT SICVT ARANEAM ANIMAM TVAM, ET NE FIAT FVGA TVA HYEME VEL SABBATO CVM IBIS IN DOMVM ÆTERNITATIS TVÆ.

FINIS.

SPECIAL 88-B
5341
Broadway
86-B
1835

GETTY CENTER LIBRARY